

Caspar Mauritius    Joachimus Danckwertz

## **Exercitatio Anticalvinistica De Unione Personali**

Rostochi[i]: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740001337>

Druck    Freier  Zugang



R u Meol. 1653.

Mairinikus, Caspar /a

Dankwerth, Joachim



EXERCITATIO  
ANTICALVINISTICA  
DE  
**UNIONE**  
PERSONALI,

*Quam*

DEO Opt. Max. FAVENTE  
Consentiente Venerabili Facul-  
tate Theologica,

PRÆSIDE

CASPARO MAURITIO,  
SS. Th. D. P.P. & Eccles.

*Publica ventilandam offert*

JOACHIMUS *Danckwertz/*  
Rostochiensis,

*Habebitur ad d. V. Jan. In Auditorio Majori.*



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LIII.

1653

Universitäts-  
bibliothek  
Rostock



## DEO DUCE!



Ediit per DEI gratiam salutare illud tempus, quo incarnatum DEUM celebrat Ecclesia. Æquum est ut & Academia hoc agat. Meditemur & defendamus sublimem de Unione Personali articulū, de quo incomparabilis Chemnitius, *Meminerimus*, inquit, *mysterium arcanae illius & ipsis procul dubio Angelis admiranda copulationis, divinæ naturæ infinitæ cum humana finita in persona Christi, non posse nos in hujus vitæ caligine mentis nostræ infirmitate totam ac plenè perspicere, nec omnia, quæ de eo queri vel disputari possunt, perfectè intelligere, ac quasi ad oculum demonstrare vel debere vel posse: sed religiosa diligentia & solitudine mentem in omnibus de hoc arcano mysterio cogitationibus questionibus & disputationibus ad lucernam DEI in verbo nobis præluentem referamus, & intra metas divinæ patefactionis in scripturis traditæ nos contineamus & coerceamus*, lib. de duab. Nat. in Christo Cap. IV. pag. 19. Ubi duo inculcat Chemnitius. Primum est, hic non posse nos plenè cognoscere mysterium illud, quod repetit pag. 28. 52. seqq. &c. alterum, perspicua & firma Scripturæ testimonia in disputationibus de hoc mysterio adducenda, quod alibi quoq; urget pag. 21. 28. 96. 103. &c. *Quando disputamus contra Ecclesie hostes (monet opportunè B. Lutherus ad cap. XIIX. Genes.) solida & firma argumenta proferenda sunt. Hoc enim nisi fiat non solum rident nos inimici, sed in suo errore magis confirmantur. Item: Disputatio fundamenta firma jacias necesse est: hæc cum jacta sunt, nihil prohibet per allegoriam seu figuram addere lucem causæ & ornare. Vocat argumenta Rhetorica, etsi minus firma, tamen jucunda nec suo fructu carentia, apta ad persuadendum. imo etiam utilia, postquam rei fundamenta ex aliis Scripturæ locis jacta sunt. Quare nobis id curæ esse debet cum in omni doctrinæ sanæ capite, cui contraveniunt heterodoxi, tum maxime in arduo illo articulo & humanæ rationi impervestigabili atq; incomprehensibili de Unione Personali, ut perspicuis, validis, adeoq; talibus Scripturæ locis, quæ piis & moderatis mentibus satisfacere queant.*

queant, veritas confirmetur. Recte enim dictum est, non esse aliunde concludendum, sed semper respiciendum in verbum DEI: hinc enim fidem esse, quæ sunt verba CL. Mentzeri contra Martin. pag. 23 plane conspirantia cum saluberrimis Chemnitii monitis, quæ identidem suggerit in aureo libello, quem optimè Selneckerus in præfatione dicit ex sacris literis & orthodoxæ Ecclesiæ consensu perpetuo & unanimi constructum: quanquam Danæus in Exam. præf. pag. 1351. ex hoc fonte derivatos esse, clamat omnes istius corporis (Formulam Concordiæ intelligit) nexos & errores, errorumq; probationes. Sed de his jam videndum erit, & ostendetur, Danæi criminationem falsissimam esse.

§. 2. Unionem personalem dicimus esse unionem indissolubilem duarum naturarum divinæ & humanæ, factam per assumptionem humanitatis in unitatem personæ ἕλωγς, cum immissione naturarum inconfusarum, ut redimeretur genus humanum. Unio personalis dicitur, non ratione termini à quo, quasi duæ sint unitæ personæ, sed respectu termini ad quem & in quo, qui est persona sive ἰσώσεσις ἕλωγς. Quæ unio distincta est non tantum ab unione προσωπικῆ, quam sic vocat Damascenus, itera essentiali, naturali, carnali, spirituali, verum etiam ab unione, quæ fit per corruptionem, conversionem, confusionem, coacervationem, assistentiam, attingentiam, tum ea, quæ est secundum similitudinem & æqualitatem, consensum, gratiæ ejusdem participationem, apparentiam de quibus vide Damsc. lib. III. de O. F. cap. 3. & Chemnit. cap. VII. pag. 37. Cæterum distinguendus est ipse unionis actus sive unio ab unionis statu. Actus transitorius: Unio permanens. Actus est personæ simplicis ἕλωγς assumptis in ἰσώσεσιν humanitatem: status est duarum naturarum in persona συνθέτω composita vel potius quasi composita, videlicet eo compositionis genere, quæ dicitur cum his, non vero illa, quæ est ex his, adeoq; composita, in quantum una persona in duabus subsistit naturis. Nempe, cum persona dicitur composita, sumenda vox personæ est concretivè, quo pacto persona Filii DEI non jam amplius sola divinitate ut adsumente, neq; sola humanitate ut assumpta, sed utraq; describitur & quasi componitur. Actus consistit in unitione ipsa facta in momento conceptionis per obumbrationem Spiritus Sancti in utero Mariæ Luc. I. 35. status in ætissima & nunquam dissolvenda naturarum unione. Est ergo actus fundamen-

damentum & radix unionis personalis. Forma ejus consistit in com-  
 munionem naturarum inter se invicem, *ἐν τῇ ὁμοιωσὶς εἰς ἄλληλα τῶν*  
*μορφῶν* Damasc. lib. III. cap. III. in immeatione naturarum non confu-  
 sarum. Dico non confusarum: sicut enim divinitas suas retinet pro-  
 prietates, sic & humanitas suas in ipsa unione. Haud secus ac anima sua  
 retinet *ἰδιώματα*, sua corpus, etiam tunc, cum unitissima sunt & mu-  
 tua *ὁμοιωσὶς* sive immeatione permeat anima corpus, & hoc ab illo  
 habitatur atq; permeatur. Consimili modo utraq; Christi natura sua,  
 retinet propria, sic tamen ut possideat *λογος* humanitatem immean-  
 do eam & deificando, humanitas *λογος* recipiendo gloriam propriam  
 inhabitantis DEI. *Quemadmodum tres hypostases supernæ trinitatis in-*  
*confuse uniantur & indivisibiliter discernuntur & numerantur, & numerus*  
*divisionem, distantiam, alterationem, aut sectionem non inducit (nam unum*  
 DEUM agnoscimus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum) eodem quoq; mo-  
 do & Christi naturæ tamen uniantur, inconfuse tamen uniantur: & ta-  
 meti in se invicem commeant, immanentq; in invicem tamen versionem &  
 transmutationem non admittunt. Servat enim utraq; suæ ipsius naturalem  
 incommutatam proprietatem: quare & numerantur, & numerus non inducit  
 divisionem. Nam unus est Christus in divinitate & humanitate perfectus. Nu-  
 merus enim non divisionis aut unionis causa est, sed eorum, quæ discreta sunt,  
 quantitatis significativus, sive unita sive divisa sint. Unita, ut quod numerus  
 hic, quinquaginta lapides habet: divisa, ut quod quinquaginta lapides ja-  
 cent in hoc campo. Unita ut quod duæ naturæ sint in carbone, ignis dico atq;  
 ligni: divisa, ut quod natura ignis altera est & natura ligni altera &c. Da-  
 masc. lib. III. cap. V. Sciendum insuper, inquit cap. VII. quod & si se invi-  
 cem immeare Domini naturas dicimus scimus tamen, quod ex divina natura  
 immeatio provenit: nam omnia pertransit, quemadmodum vult, & permeat  
 omnia, per ipsam autem nihil. Et ipsa quidem τὸ οὐκ εἶναι τῶν ἰδιωμάτων pro-  
 prias glorificationis carni tradit, cum ipsa maneat impassibilis, &c. Finis  
 hujus unionis est mundi redemptio. Ubi enim venit plenitudo temporis,  
 misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege  
 erant redimeret, & nos adoptionem consequeremur Gal. IV. 4. &c. Omni  
 naturæ humane inquit unitam esse divinitatis substantiam: nam nihil eo-  
 rum, quæ plantavit in natura nostra DEUS verbum, cum in principio plasma-  
 vit nos, desiccit, sed omnia assumpsit, corpus, animam rationalem & intellectu-  
 vam



nam & eorum proprietates. Quod enim unius horum experts animal non est homo. Totum enim totus assumpsit me: & totus toti univus est ut toti salutem largiretur. Το δὲ ἀπεὸς λητῶν, ἀρεγῆ π' ὄτων, quod non est assumptum (de natura hoc intelligendum) est incurabile Damasc. lib. III. cap. VI. Credimus ergo duas Christi natiuitates, unam ex Patre ante secula, ὑπὲρ αἰτίαν καὶ χρόνον καὶ χρόνον, καὶ φύσιν, & alteram in novissimis, propter nos, secundum nos & super nos. Propter nos, quia propter nostram salutem. Secundum nos, quia factus est homo ex muliere & tempore partus: super nos, quia non ex semine, sed ex Spiritu Sancto & ex sancta virgine super partus legem. Cap. VII.

§. 3. Sed hæc paulo curatius expendenda propter adversarios, imprimis Calvinianos, quibus ὁμολῆφοι sunt Jesuitæ, ut ex Bellarmino clarissimè patet. Ut autem certo ordine & lege nostra procedat disputatio, notamus, Unionem personalem posse tripliciter considerari; fundamentaliter, in quantum in substantiam suam assumpsit λόγος humanitatem, eiq; communicat propriam hypostasim, ut sit unus Christus mediator DEI & hominum: formaliter, in quantum verè communicata divinitas humanitati & hæc illi, sic ut divina natura verè inhabitet naturam humanam eam immeando, & vicissim humanitas Deitatis sit particeps: deniq; effectivè & consequenter, in quantum verè & realiter persona ab utraque vel utraq; natura denominata participat de proprietatibus alterutrius naturæ, verè item & realiter divina natura idiomatica sua ad orbem redimendum necessaria humanitati communicavit, verè deniq; & realiter utraq; natura agit quod suum est cum communicatione alterius. Hæc omnia nos inter & Calvinianos sunt controversa. Primo id est in controversia positum, an λόγος assumens semen Abrahæ substantiam suam humanitati communicaverit. Sunt inter Calvinianos, qui fatentur, Personam Filii DEI humanam naturam assumpsisse, eiq; substantiam communicasse, quæ sunt verba Walæi L. C. pag. 700. Nec abnuere videntur Polanus, Sohnius, Altingius, Crocius, Maccovius, quem vide part. 2. Metaph. cap. 1. p. 205. Franc. Burgersdicius Metaph. lib. 2. cap. 2. pag. 233. Hæc dum concedunt, eadem opera expungunt principia sua, qualia sunt, finitum non est capax infiniti, quod numero unum proprium est, id alteri communicari nequit, nihil quod est essentia divina realiter, communicari potest. Wendelinus C. T. lib. I. cap. XVI. th. VI.

th. VI. n. 2. talem regulam ponit: ab humana natura in ὑπόστασιν & λόγῳ  
Assumptione ad communicationem ὑπόστασως seu persona non valet conse-  
quentia. Paucis interjectis observat, minus accurate dici humanam Chri-  
sti naturam subsistere: etenim subsistere proprium est persona, qua à subsi-  
stendo dicitur ὑπόστασις seu subsistentia, non natura à persona realiter di-  
stinctæ. Rectius dici sustentari ὑποστατικῶς seu personaliter. Quod enim  
habet hypostasin propriam sive ab alio communicatam, id persona est, At hu-  
manitas Christi non est persona, sed aliquid persone. Ergo communicatam  
hypostasin non habet. Hæc Wendelinus. Cujus discursus ut clarior fiat  
notamus, vocem subsistentiæ à nobis in hoc puncto non accipi genera-  
liter, prout in definitione substantiæ accipitur, estq; ἢ subsistere idem  
ac non esse inhærenter in subjecto: sed specialiter pro pressiore  
illo substantialis existentia modo quo natura completa ultimo ad in-  
communicabilitatem (nempe respectu alterius subsistentis, à quo ul-  
terius terminari nequit, quippe jam ultimo terminata) determinatur.  
De priori acceptione nulla potest esse controversia, sed de posteriori  
ambigitur. Nostra sententia est, λόγον suspendisse hypostaseos propriae  
è natura humana Christi emanationem, eamq; donasse sua hypostasi,  
ut hypostasis Filii DEI facta sit ὑπόστασις hominis, non transfu-  
sione quadam, sed communicatione eaq; non formali, essentiali, sub-  
jectiva, sed supernaturali, vera tamen, adeoq; , quæ subsistentia forma-  
liter est tantum Filii DEI subsistentia, verè & actu primò communicata  
sit humanitati, ut hæc in eà actu secundo subsistat. Actus enim hic  
secundus subsistendi ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ necessario præsupponit com-  
municationem factam actus primi. Neq; enim humanitas Christi est  
ἀυθιπόσατⓄ, aut ἐνυπόσατⓄ, sed ἐνυπόσατⓄ ὑπόστασις subsistens  
ἐ κατ' ἐαυτήν, ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὑπόστασι τῷ λόγῳ, ut satis accurate loqui-  
tur Damasc. lib.III. cap.IX. Quem loquendi modum non decuit taxare  
Wend. cujus Major est falsa: persona enim est, quæ ab alio nō sustentatur.  
Interim, si placet, sic emendetur syllogism⁹ Wendelini: O. Persona habet  
hypostasin propriam sive communicatam. Atqui homo Christ⁹ est per-  
sona, quippe Filius hominis, quæ appellatio Personæ est, non naturæ. E.  
Christus homo habet hypostasin vel propriam vel communicatam.  
Non illam. Ergo hanc, eamq; non ab alio communicatā, sed ab ipso  
DEI filio, nisi duas confingere personas velimus: in Christo enim non est  
ἀλλⓄ.

ἄλλο & καὶ ἄλλο, sed ἄλλο καὶ ἄλλο. Atq; hanc nostram ὁρθοδοξίαν  
 firmant non tantum prædicationes istæ personales, quales sunt: *Germe  
 Davidis est Jehovah, Natus ex Maria est Filius DEI altissimi, Secundus homo  
 est Dominus de cælo & vice versa, verum imprimis locus ille Joh. I. 14.  
 Verbum caro factum est*, hoc est, interprete Damasceno lib. III. de O. F.  
 cap. IX. *hypostasis τῆς λόγῳ ἀρετίως facta est hypostasis carnis.* Adde lo-  
 cum Gal. IV. 4. §. præc. citatum & Ebr. II. 14. *Quemadmodum pueri  
 communicaverunt carni & sanguini: similiter ipse quoq; particeps factus est  
 eorundem.* Quæ omnia dici non possent salva veritate, si humana na-  
 tura facta non esset particeps ὑπόστασεως λόγῳ, si tantum sustenta-  
 tur hypostaticè à λόγῳ, ne in nihilum redigatur. Quæro enim, quid sit  
 sustentari hypostaticè? Sustentantur omnes creaturæ virtute λόγῳ, neq;  
 tamen verbum creaturarum universitas factum est. Dices: non susten-  
 tati hypostaticè sive personaliter. Quæro ergo, quid sit illud hypostati-  
 cè sustentari? respondent, *sustentari carnem in DEO verbo nihil est aliud  
 quam unitum esse verbo personaliter* Grab. cont. Hunn. pag. 56. At sic  
 idem per idem explicatur. Quæro, quid inter sit inter naturam huma-  
 nam & reliquas creaturas, si nulla est facta communicatio hypostaseos?  
 Quæro, quo pacto concedere Wendelinus possit, unicam personam,  
 τῆς λόγῳ in se simplicem subsistere in duabus naturis, divina & humana,  
 si humana non habet subsistentiam communicatam? Imo quæro, quo  
 pacto Johannes dicere potuerit, Verbum factum esse carnem, & Paulus,  
 Filium DEI natum ex muliere, si hypostasis Verbi non est communicata  
 carni? Longè enim aliud est, dicere, Verbum esse carnem, & dicere, car-  
 nem sustentari hypostaticè à verbo. Actus hic secundus sustentationis  
 & gestationis non exprimit statum eminentissimæ dignitatis, nec adæ-  
 quat majestatem vocis factum est. Hæc enim phrasis *ceu indice digito de-  
 monstrat* 1. quid λόγῳ factus sit, nempe caro 2. in quem sive intra quem ter-  
 minum assumpta hæc caro pervenerit nempe in ipsam ὑπόστασιν τῆς λόγῳ  
 Hutt. L. C. pag. 144. *Factus est DEI filius homo veraciter & substantialiter,*  
 (verè non secundum phantasiam apparentiamq; fallacem) *hoc est, in  
 sua hypostasi, animatam carnem anima rationali & intellectuali sustentans*  
 ὑπόστασεως, καὶ αὐτὸς γεγονὼς αὐτῇ ὑπόστασει, & ipse factus est illi hy-  
 postasis, hoc enim designat, natum ex muliere Damasc. lib. III. cap. XII.  
 Dicunt adversarii, communicationem hypostaseos, nihil esse aliud,  
 quam

quam assumptionem carnis. Sed præterquam quod vox assumptionis sit  
 ambigua & ambigüe olim à Nestorio usurpata, ut ex anathematismo  
 quarto apparet Concilii Ephesini, hodie quoq; Filius DEI cum huma-  
 nitate assumta communicat hypostasin, quam tamen hodie non assu-  
 mit, & assumitur natura, communicatur hypostasis. Wendelinus do-  
 cet, *sustentationem hypostaticam esse, qua in humana sua natura personali-  
 ter subsistit λόγος, & per eam verè est homo, & unica persona duabus con-  
 stans naturis.* Qui cur personaliter subsistere λόγον dicat, cum non nisi  
 personæ velit esse proprium τὸ subsistere, non videmus. Interim hæc  
 explicatio id quod nos intendimus, fortiter evincit. Si enim per su-  
 stentationem hypostaticam, quam vocat, λόγος verè est homo, utiq;  
 subsistentiam dat humanitati. In omni Enunciatione oportet identifi-  
 cari subiectum cum prædicato, idq; si termini sint concreti, ex parte  
 ejus, quod importatur in casu recto. Si ergo dicam, λόγος est homo,  
 utiq; verum est, eandem personam esse DEUM pariter & hominem,  
 adeoq; eandem subsistentiam esse DEI & hominis, τὴν αὐτὴν ὑπόστα-  
 σιν τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρώπου φύσεως, ut loquitur Damasc. lib. III.  
 cap. III. VIII. Hoc enim nisi dicatur nullo modo dici poterit DEUS  
 homo in casu recto. Hominem quidem dicitur DEUS sustentare, at  
 homo dici nequit, si subsistentia non est eadem λόγος & humanitatis.  
 Nec Maria θεοτόκος dici poterit, si DEUM non peperit ipsum, sed ho-  
 minem tantum à DEO hypostaticè sustentatum. Bene CL. Hutt. loc.  
 cit. *Si assumta natura humana per unionem cum λόγῳ in κωνωνίαν hypo-  
 staseos τῆς λόγος non pervenit, id quod volunt adversarii, consequens fue-  
 rit, neq; nativitatem ex virgine, neq; obedientiam legi præstitam neq; passio-  
 nem neq; mortem humanæ naturæ quicquam ad λόγον pertinere: sed λόγον  
 per nudam tantum ὑπόστασιν sine ulla reali naturarum ad se invicem κωνο-  
 νία assumta humanæ naturæ adherere: sed posterius hoc falsum, impium &  
 blasphemum.* Deniq; invictum est argumentum Graweri: Si humanæ  
 Christi naturæ non est communicata hypostasis Filii DEI, sequitur,  
 quod humana Christi natura aut nullam habeat ὑπόστασιν, aut pro-  
 priam, eamq; diversam ab hypostasi Filii DEI. At utrumq; falsum. Si  
 enim nullam habet hypostasin, nec subsistet, nec cum divina natura  
 constituet unam personam, neq; Christus erit una persona. Si propriam  
 B  
 habet,

habet, vicit Nestorius, & cum eo agnoscendi erunt duo Filii & duo  
 Christi. Hæc Græverus. Concedit Wendelinus, nullam habere hy-  
 postasin, sed eadem opera negabit esse substantiam, cujus proprium est  
 habere subsistentiam non illam tantum generalem verum! etiam pres-  
 siosem illum existentia substantialis modum, sive à se, sive non à se:  
 absq; hoc sit, substantia esse definit. Vult Wendelinus, sequi ex no-  
 stra sententia, *Christum esse personam geminam*, quarum una per com-  
 municationem, altera persona sit per naturam. Sed facile hoc diluitur.  
 Persona λόγος gaudet subsistentia propria, hac quia caret humanitas,  
 non est persona, interim gaudet eadem subsistentia, sed communicata.  
 Nempe eadem hic subsistentia, quæ ibi est, sed non eodem modo.  
 Quemadmodum eadem vita est animæ & corporis, non tamen eodem  
 modo, idem calor ferri & ignis, qui in poris ferri, idem sanguis DEI &  
 hominis, non tamen eodem modo. Nec valet consequentia: DEUS  
 habet sanguinem proprium per communicationem, Act. XX. 28. Ebr.  
 II. 14. Homo habet sanguinem proprium per naturam. Ergo geminus  
 est sanguis. Anima habet vitam, corpus habet vitam Ergo gemina est  
 vita. In carbone ignito carbo habet calorem per communicationem,  
 ignis per naturam Ergo geminus est calor. Sed de his infra pluribus  
 agendum.

§. 4. Secundo quæritur de ipso Unionis Personalis, ut sic dicamus,  
 formali. Wendelinus formam unionis dicit consistere 1. in perpetua & in-  
 tima divina & humane nature conjunctione. 2. in utriusq; nature distinctio-  
 ne & conservatione 3. in unitate persone duabus naturis constantis, lib. I.  
 cap. XV. th. IV. Distinxerat th. III. inter unionem mediatam & immedia-  
 tam. Res sic habet, inquit Hutterus loc cit. Cum natura divina primo &  
 immediate non sit communicata humanitati (sic enim tota Trinitas esset in-  
 carnata) sed consequenter & secundario, nempe sub persona τῆς λόγος: ita  
 ut hac persona mediante, ipsa quoq; Natura divina, (quippe quæ ratione tan-  
 tum, non autem re ipsa differt à persona λόγος) unita & communicata sit car-  
 ni: ideo Personam sive ὑπόστασιν τῆς λόγος immediatum terminum assu-  
 mionis istius dicimus: & proinde differentiam specificam Unionis primo poni-  
 mus in reali communicatione persone τῆς λόγος cum humana natura. Quæ  
 communicatio nihil est aliud, quam ipsa unio. Jam verò quoniam Deitas  
 sive natura divina τῆς λόγος, à λόγῳ ipso realiter non differt: ideo persone  
 commu-

*communicatio sive unio necessario importat etiam Naturæ divinæ sive divinitatis communicationem, sine ulla tamen Naturarum confusione.* Hæc Hutterus. Quorum veritas clara est tum ex allegatis præc. §. & explicatis Scripturæ locis, tum imprimis ex Coloss. II. 9. & Ebr. II. 14. seqq. Quæ duo loca valde evincunt naturarum veram & realem communionem, quam veteres vocant *περιχώρησιν*, per quam caro Christi est & dicitur *θεωθεῖσαι, θεθεωμήνη, ἔστι μεταβολὴν ἀλλὰ καθ' ἑνωσιν καὶ περιχώρησιν, τῶν φύσεων ἐν ἀλλήλαις* hoc est, *deificata non secundum transmutationem sed secundum unionem & inmeationem mutuam naturarum*, ut Veteres loquuntur. Damasc. lib. III. cap. 17. Ad locum Coloss. II. 9. in quo dicitur, *πάν ὁλόκληρον τῆς θεότητος καὶ σαρκὸς ἐν χριστῷ σωματικῶς* excipit Wendelinus cap. XVI. th. VII. *de persona Christi esse sermonem, non de natura humana: & posse dici habitare in humana Christi naturam omnem plenitudinem DEI, non quidem per communicationem, sed per unionem personalem.* Respondeo, in hoc loco manifestam esse distinctionem inhabitantis DEI & habitaculi, quod non esse aliud potest, quam natura humana. Ineptè dicitur, in persona Christi habitare totam plenitudinem Deitatis. Longè ineptius est, inhabitare in persona Christi Deitatem *corporaliter*. Hæc enim additio satis manifestè ostendit, non in persona, sed in carne inhabitationem intelligendam esse. *Ἐν αὐτῷ, τὰ τέσσερα, ἐν τῇ σαρκεὶ αὐτῆς* inquit Damasc. lib. III. cap. VI. Benè Chrysostomus homil. de Spir. S. Tom. III. *Non dicit simpliciter, in quo habitat Deitas, sed plenitudo Deitatis, hoc est, omne Deitatis donum. Et ne quis putet, quod in DEI verbo habitaverit, dicit, in quo habitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter. In carne ejus omnis plenitudo sapientiæ, intellectus, virtus signorum, omnis operationis.* Scilicet adversariis principium errandi in hoc articulo est, quod personam quasi tertium aliquod à Naturis diversum statuunt: non enim Christus *ἐξ ἑτέρων ἔτερος*, sed *ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτὰ* secundum Damascen. lib. III. cap. III. Cæterum quod dicit Wendelinus, inhabitationem hanc sine communicatione esse posse, sufficere unionem personalem, recognoscat illa tria, in quibus hanc unionem consistere docuit. Aut habitabit Deitas in humana natura, quia naturæ conjunguntur, aut quia distingvuntur, aut quia in unitatem coeunt personæ. Conjunctio non efficiet inhabitationem, multo minus distinctio. Neq; enim quæ conjuncta sunt vel distincta, ideo invicem

cem inhabitantur. Manebit ergo ultimum, ideo inhabitari humanita-  
 tem à divinitate, quia hæc naturæ unitate personæ continentur. Hoc au-  
 tem sine communicatione subsistentiæ fieri non posse, jam demonstra-  
 rum. Porro, communicata subsistentia, naturam ipsam divinam com-  
 municari necessum est. Persona enim in divinis non est abstracte mo-  
 dus subsistendi, sed est ipsa essentia divina certo caractere hypostatico  
 insignita. Unde manifestum est, cum persona Filii DEI dicitur esse in-  
 carnata, intelligendam esse naturam divinam, eamq; non ut commu-  
 nem, sed ut subsistentem in persona τῆς λόγῃς. Hinc Athanasius in Sym-  
 bolo unionem personalem esse dicit *περὸς ληψιν τῆς ἀνθρωπότητ<sup>ος</sup> εἰς  
 θεότητα*, *assumptionem humanitatis in divinitatem*. Et in Epist. ad Epite-  
 ctum: *Humana nature facta est accessio ἐκ τῆς τῆς λόγῃς πρὸς αὐτὴν κει-  
 νοπίου καὶ ἐνώσεως, ex communicatione & unione verbi ad naturam huma-  
 nam*. Basil. M. Serm. in Sanct. Nativ. Humana, inquit, *Domini caro ipsa  
 particeps facta est Deitatis*. Hoc passim inculcat Damascenus, potissi-  
 mum vero Cap. VI. & XI. *Dicimus, inquit, totam & perfectam divinitatis  
 naturam in una suiipsius hypostaseos unitam toti nature humane, non par-  
 tem parti*. Et quando dicimus naturam Verbi incarnatam esse secundum bea-  
 tos Patres Athanasium & Cyrillum, *divinitatem dicimus unitam esse carni*.  
*Quare naturam Verbi dicentes, ipsum verbum significamus: siquidem Ver-  
 bum, & quod commune substantiæ est habet, & quod est proprium hypostaseos.*  
*Idem est dicere, naturam verbi & eam, quæ in individuo est naturam. Nam  
 neq; individuum, id est, hypostasin propriè & solummodo ostendit, neq; quod  
 hypostaseon commune: sed communem naturam in una hypostaseon confide-  
 ratam*. Et hanc naturarum communicationem factam esse in unione  
 personali docet locus Ebr. II. 14. ubi habes, *Filium DEI participem factum  
 esse carnis & sanguinis, sicut pueri*. Habes hic Filium DEI, hoc est, natu-  
 ram verbi participem factam veræ humanitatis, illius nempe, cujus par-  
 ticipes reapse & verè sunt pueri. Unde consequitur, humanitatem di-  
 vinitati propriam factam, sicut caro puerorum est propria. Quo ad-  
 missio, divinitatem humanitati propriam factam esse per communica-  
 tionem evidenter concluditur. Et hoc sensu ipse λόγ<sup>ος</sup> & dicitur caro  
 factus, ipse DEI Filius natus esse ex muliere, ipse DEUS habere pro-  
 prium sanguinem de quibus dictum §. præcedenti.

§. 5. Vidimus unionem Personalem in fundamento suo & formali,

quo

quorum utrumq; expriment Propositiones Personales, *DEUS est Homo,*  
*& Homo est DEUS*, ac proinde utroq; salvo intelligi & resolvi debent.  
 Cœterum variè hic impingunt Calviniani in publicis & privatis scriptis,  
 contententes, istas propositiones respectu naturarum verbales esse,  
 non reales, tropicas, improprias, explicandas per ἀλλοίωσιν, respectu  
 hypostaseos esse essentielles & identicas. Ipsos audiamus. Admonitio  
 Neostadiana pag. 70. statuit, *prædicationem humanarum de DEO, & di-*  
*vinorum de homine quantum ad Naturas, tantum esse verbalem.* Et pag. 156.  
*Humanitati, inquit, Deitas non realiter data vel communicata est, sed per-*  
*sonaliter unita, hoc est, non sic ei data est, ut ipsa sit Deitas vel DEUS.* Et  
 pag. 68. *DEUS realiter est homo respectu humanitatis suæ, sed nominatenus*  
*respectu Deitatis suæ & non realiter.* Leideneses in Synopli Disp. XXV.  
 th. 37. *hoc genus Enunciationis in persona dicunt esse reale & proprium: in*  
*natura seorsim considerata ne verbale quidem, at vero de persona cum respectu*  
*naturæ verbale, id est pertinens ad phræseos explicationem, improprium, aut,*  
*ut alii volunt, inusitatum est.* Rotunde Danæus Op. pag. 134. *Non DEI*  
*Filius DEUS & homo est: sed idem, quæ DEI Filius est, & Homo est.* Ex his  
 patet exultimare Calvinianos, propositiones personales respectu natu-  
 rarum ne verbales, imo ne veras quidem esse. Unde fit, ut ad tropos,  
 Syuecdochas, ἀλλοίωσις se convertant. Pier. disp. thes. IX. explicat has  
 propositiones per ἑνὸν ἐν τῷ ὁσέως, quo una natura dicitur prædicari  
 de altera propterea quia actus priminotatio ponatur pro significatione actus  
 secundi, ita ut DEUS dicatur homo, id est, hominem sibi habere unitum &  
 sustentare. Piscat. ad Hoffm. pag. 22 & 23. in propositionis hujus (DEUS  
 est homo) subjecto (DEUS) triplicem synecdochen esse statuit 1. Sy-  
 necdochen generis, quo ponatur DEUS, quod vocabulum notet omnes perso-  
 nas Trinitatis, pro secunda tantum persona 2. synecdochen membri, qui-  
 ponatur secunda persona divinitatis seu sola natura divina τῷ λόγῳ pro tota  
 Christo constante ex divina & humane natura: 3. Synecdochen integri, quia  
 ponatur totus Christus pro humana duntaxat natura, hoc sensu: Humana  
 Christi natura est homo, sicut Petrus vel Paulus est homo, ita ut de individuo  
 homine Christo prædicetur species, homo videlicet universaliter sumtus. Ar-  
 que hæc est illa ἀλλοίωσις Zwingliana, negans DEUM ita accipiendum  
 ut sonat, & hominem ut sonat, quæ est origo totus delirationis Tropo-  
 siphorum. Notanter dico, Zwingliana: quam enim Lutherus agno-



*scit ἀλλοίωσιν, hæc toto cœlo ab ista distat: ἀλλοίωσις quippe Lutheri est ἀντίδοσις sive reciprocatio respectu prædicati, hoc sensu: De Filio DEI dici potest, quod sit homo & quod sit DEUS, & rursus de Filio Mariæ dici potest, quod sit homo & quod sit DEUS κατ' ἀλλοίωσιν sive κατ' ἀντίδοσιν & alternationem prædicatorum. Calviniani ἀλλοίωσιν statuunt respectu subiecti, ut aliud subiectum nominetur; aliud intelligatur, quod ex dictis clarum est. Sic Beza, resolvens propositionem, Ille Homo est DEUS, intelligimus, inquit, vocabulo Hominis Filium DEI, hoc modo: Filius DEI, qui unitus est humanitati & Deitas ipse est DEUS: Deitas enim humanitati non est communicata, Coll. Mompel. pag. 294. Ursinus in Confid. commonefact. pag. 84. seqq. Nomen DEI vel hominis in prædicationibus personalibus dicit, significare individuum personam unius Christi, de qua essentia divina vel humana prædicatur ut analogia quadam ad prædicationes speciei de individuo hæc prædicationes referantur. Orthodoxus Consensus pag. 35. redarguit Lutherum, quod existimaverit in hac propositione, Homo est DEUS, hominem supponere pro humana natura & audit: In propositione Homo est DEUS, non illud, quo Christus homo, sed quod in Christo homo est, hoc est, ὁμοσεως & persona intelligitur. Cum itaq; hinc liqueat, propter ejusdem hypostaseos in subiecto & prædicato identitatem, hominem Christum esse Filium DEI prædicatione verè identica, quia videlicet idem de seipso, hoc est, Filius DEI de sua hypostasi ab altera & assumpta natura appellata, propriè & essentialiter prædicatur, &c. Pessimè, Homo enim DEUS est personaliter, non essentialiter.*

§. 6. Hactenus sententiam adversariorum vidimus, ad cujus examen accessuri, ex Logica prænotamus, omnem prædicationem Logicam esse prædicationem naturalem & directam, cum nimirum vel universalis terminus de minus universalis, vel connotativus de absoluto prædicatur. Huic opponitur prædicatio indirecta, inordinata, contra naturam, cum prædicatur minus universale & absolutum de magis universalis & connotativo. His prædicationum generibus addendum est tertium, prædicationis præter naturam & per accidens, in qua subiectum æquè aptum est, ut sit prædicatum, & prædicatum æquè aptum, ut fiat subiectum, ut si dicam, album est dulce, Philosophus est Theologus, Imperator Rom. est Rex Hungariæ, &c. Nec est, quod dicas, fieri non posse, ut hæc ipsa de se mutuo prædicentur, cum sint disparata.

Nam...

Nam aliud est disparata prædicari, aliud, terminos, in quibus disparata implicantur, prædicari. Prius fieri nequit: at posterius fieri posse exempla adducta evincunt. Et ad hoc tertium genus, referri quodammodo posse prædicationes personales arbitramur. Quas alii nostrarium, magni nominis Viri, haud dubitaverunt paronymicas & accidentales appellare, sed sensu Scholasticorum, quibus prædicatio Paronymica dicitur esse, in qua tale quippiam de subjecto prædicatur, à quo subjectum vel propter conjunctionem aut unionem, aut aliam aliquam habitudinem denominatur, nec tamen est de essentia subjecti propositionis. Sed importat aliquid extra rationem subjecti, de quo prædicatur. CL. Horneus cum Fonseca censet *tria nova prædicabilia esse constituenda, & prædicata illa genera, species & differentias assumptivas appellat, appellatione inde deducta, quia non per naturam sed per assumptionem personæ divinæ competunt. Genera autem & species esse statuit, quod licet contingenter, attamen substantialiter prædicentur, homo & animal quidem in questione, quodnam est suppositum; rationale vero animatum &c. in questione de quali substantiali.* Quam sententiam non improbamus, si de hac propositio quæstio moveatur, Christus est homo, Christus est rationalis, animatus, &c. At prædicationes hæc, DEUS est homo, & Homo est DEUS referendas esse, & quodammodo referri posse statuimus ad prædicationes prædicationes præter naturam & per accidens. Quæcunq; enim prædicatio tales habet terminos, quorum uterq; æquè aptus natus est subijci ac prædicari, illa prædicatio non est Synonymica vel Paronymica, sed præter naturam & per accidens. Atqui prædicationes personales, sunt prædicationes, quæ tales habent terminos, quorum uterq; æquè aptus natus est subijci ac prædicari, similes istis, Album est dulce, Imperator est Rex Hungariæ &c. E. Dices, exempla prædicationis per accidens ad præsens negotium accommodari non posse. Verum quidem esse, cum duo accidentia prædicantur de uno supposito tum ea de se invicem, prædicari v. g. Rex Hispaniæ est Archidux Austriæ, Rex Daniæ Dux Holsatiæ, album est dulce &c. at in his prædicationibus nullam esse terminorum communionem, qualis est in propositionibus personalibus. Respondeo, ideo dixisse nos, quodammodo referri posse. Fateamur enim, habitudinem inter terminos hæc plane esse singularem & inusitatam, unde & merito suo hæc prædicationes inusitatae & irregulares salutantur. Homo enim & DEUS est & deificatus non secundum trans-

muta-

mutationem, sed secundum *οικονομίαν*, h. e. dispensationem, dispositionem, secundum hypostasin dico, secundum quam inseparabiliter DEO verbo unitur, & in se invicem naturarum ingressionem immanationemq̄, quemadmodum dicimus ferri ignitionem. Damasc. lib. III. cap. XVII. Ad quem melius intelligendum obiter notamus vocem *οικονομίας* in latiore sensu sæpè pro universa DEI providentia accipi, strictiori tamen significatione capi de illa divina providentiæ specie, qua DEUS prospexit salutem humanam mittendo Filium unigenitum in carnem nostram cujus nativitatem, præconium, passionem, resurrectionem, adscensum vox *οικονομίας* designat. Hinc fit, ut & quæ Christo secundum humanam naturam competunt, *οικονομίας*; & quæ secundum divinitatem tribuuntur *Φύσεως* five *ἕσθιας* esse dicantur. Theodoretus: *θεός τῆς Φύσεως ὄνομα, τὸ δὲ ἀνθρώπου τῆς οἰκονομίας πῶς ῥημα*, DEUS est naturæ nomen, homo vero est agnominatio & economias, quam Latini Patres verterunt, dispensationem, dispositionem, officium. Vide Not. Casaub. in Epist. Greg. Nysseni. Sed ad Damascenum redeamus, qui lib. III. cap. XII. sic, ait, *intelligenda & dicenda est DEI para Virgo, non solum propter naturam Verbi, sed etiam propter Deificationem humanæ carnis &c.* Unde consequitur, cum homo dicitur DEUS non tantum subsistentiæ identitatem, sed & veram naturarum communionem notari. Cui nihil simile in universa natura reperitur. Atq; sic evictum, propositiones personales, ad propositiones præter naturam quomodo referri posse. Simul patet, propositiones hæc non verbales, sed reales, non tropicas, sed proprias, non identicas, vel essentielles esse. Qualis enim est communio naturarum, talis est prædicatio. Atqui illa est realissima, E. & prædicatio. Major est clara: modum enim essendi sequitur modus prædicandi. Major ex plurimis scripturæ locis constat, citatis §. 4. Porro, in quacunq; prædicatione termini accipiuntur proprie, ita ut à nativa significatione non demigrent in alienam, illa est propria. Atqui in prædicationibus personalibus, uterq; terminus accipitur proprie, proprietate nempe non naturæ, sed significationis, quam Rhetoricam vocamus. E. Minor est clara ex syllogismis expositivis: Christus est homo, Christus est DEUS, Ergo DEUS est homo. Messias est homo actu primo, Messias est DEUS actu primo E. Qui est homo actu primo, est etiam DEUS actu primo. In horum syllogismorum præmissis termini  
homo,

homo, DEUS, proprie accipiuntur. Quare impossibile est in Conclusionem accipi tropice & improprie. Neq; est, quod dicas, proprie esse respectu hypostaseos, non autem respectu formarum sive naturarum. Naturæ enim in præmissis non excluduntur, sed includuntur. Sicut cum dico, Galenus est Philosophus, Galenus est medicus, E. quidam medicus est Philosophus, hic principaliter significatur forma (hoc est, illud, quod Galeno dat denominationem sive appellationem) minus principaliter subjectum (Galenus) ut in terminis ejusmodi concretis accidentalibus fieri solet, in quibus id quod accidens constituit, sive forma principaliter significatur. Consimili ferè modo se res habet, cum dico, DEUS est homo, ubi non quidem est excludenda hypostasis & identitas suppositi, sed nec excludendum id, quod conceptu DEI significatur formaliter, quin potius utrumq; includendum, adeoq; sic & non aliter accipiendi termini in conclusione, quemadmodum fuerit suppositi & accepti in præmissis. Deniq; in quacunq; prædicatione termini formaliter, imò realiter distinguuntur, illa non est identica. Atqui in personali prædicatione termini formaliter, imò realiter distinguuntur, Ergo illa non est identica. Et, In quacunq; prædicatione prædicatum formaliter sumtum non est de essentia subjecti formaliter sumti, illa non est essentialis, univoca vel Synonymica. Atqui in prædicationibus personalibus prædicatum formaliter sumtum non est de essentia subjecti formaliter sumti, E. hæ prædicationes non sunt univocæ vel essentialis. Utriusq; syllogismi Major extra controversiam est. Sed nec de Minori ambigi potest vel debet ab eo, qui terminos ipsos intelligit. Vid. CL. Reinbohr Tract. de Prædicationibus Personalibus.

§. 7. Expendimus, quantum Viatoribus datum est nosse, Unionem Personalem fundamentaliter, ut sic dicam, & formaliter consideratam: reliquum est, ut debito studio inquiramus in unionis Personalis formale, ut ita dicam, consequens, quam Idiomatum communicationem appellare solemus. Damascen. lib. IV. cap. 19. tria genera communicationis idiomatum constituit. Primum est *ἐκ τῆς κρείττης* sive ex meliori, cum nempe caro dicitur deificata & superexaltata, & quod due nature secundum hypostasin sint unitæ, & τὴν εἰς ἀδιήλας ὡσεὶχώρησιν habeant inconfusam & immutabilem, non quasi caro permeat divinitatem, sed quod divina natura semel immeans per carnem, dedit carni τὴν πρὸς αὐτὴν ἀρρήτων ὡσεὶχώρησιν, ἣν δὴ ἐνωσιν λέγομεν hoc est, dedit carni ad ipsam

6

ipsam

*ipsam ineffabilem inmeantiam & immanfionem, quam unionem dicimus. Alterum est ἐκ τῆς ἐλάττωσιν & sive ex deteriori, cum DEO tribuitur incarnatio, exinanitio, pauperies. Tertium est ἐξ ἀμφοῖν ἀμείωτα, ex utraq; simul, cum operatur Christus in utraq; natura junctim & unice cum alterius communicatione. Propter hunc tertium modum, inquit Damascenus, predicti duo modi dicuntur. Vide quæ habet lib. III. cap. 15. Nos eadem communicationis genera agnoscimus, & tradimus, ordine tamen paululum mutato. Quod enim secundam est Damasceno genus, id nobis est primum. Rursus quod primum est, id nonnulli tertium esse volunt. Sed maneat id, quod tertio loco posuit Damascenus, in loco sibi assignato. Quod ergo ad primum genus attinet, sufficere putavit Damascenus, si primariam ejus speciem attigisset, qua nempe de DEO prædicantur humilia illa, pati, mori. Nam alias plures species hoc genus completitur, easq; distinctissimas. Propria enim naturæ unius sive divinæ sive humanæ prædicantur concreto personæ Christo ab utraq; natura denominato: & rursus propria divinæ naturæ de concreto naturæ Christo à naturâ humanâ; item humanæ propria naturæ de Christo à divinâ naturâ denominato. Quæ varietas prædicationum B. Gerhardum Exegef. pag. 135. movit, ut existimaret, IV. Genera communicationis idiomatum constitui posse; aliam enim esse propositionem, DEUS est passus; aliam, cum dico, Christus est passus, hanc à Nestorio concedi, illam negari. Interim nos cum Gerharo retinemus usitatam distinguendi communicationem idiomatum rationem. Communicationem cum dicimus, accipimus vocem hanc non transitive & active sed passive & intransitive, ut sit, in consortium, societatem & communem possessionem recipere. Idiomata cum dicimus communicari in primo genere communicationis, notandam est, Leidenfes in Synopsi pur. Theol. Disp. XXV. thes. 35. dicere, de persona ab alterutra natura appellata, prædicari humana OMNIA; vel ab humanâ, divina OMNIA. Verum enimvero salubre monitum est Philippi in Locis, dignam esse diligentiam piis, loqui cum Ecclesia: non enim sine eruditis causis Ecclesia vetus alios modos comprobavit, alios rejecit. Inter rejiculas propositiones sunt istæ: Christus est creatura, Christus cœpit esse, Christus factus est, Christus in assumpta habitat humanitate, Christus subsistit in persona Filii DEI, item, Filius Mariæ non est alterius à Patre & Filio essentiæ, Filius Mariæ non habet carnem & sanguinem, Filius Mariæ subsistit in persona propria, item, Filius DEI est*

est creatura, Filius DEI ab aeterno non est, Filius DEI est natura corporeus, & similes. Quanquam enim explicari per primum genus communicationis possint, prudenter tamen Veteres vitarunt ambiguitatem, vitarunt insidias, ut loquitur cit. loc. Philippus, & ab his loquendi modis abstinuerunt, ne simpliciores vel offenderentur vel seducerentur, & illa occasione hæretici falsas opiniones spargere possent. Cæterum in hoc primo genere controversiam est, an realiter & sine tropo DEUS passus & mortuus sit. Negant id Calviniani. Admonitio Neostadiana sic censet pag. 250. *Divina dicuntur de Christo secundum Deitatem, humana secundum humanitatem. Ergo DEUS passus, mortuus est realiter, quatenus homo, sed nominatenus, quatenus DEUS est.* Communiter Calviniani propositionem hanc, DEUS est passus, explicant per ἀλλοίωσιν Zwinglii, ita, ut una natura nominetur, sed altera intelligatur, hoc sensu, Humana natura DEO unita est passa, DEUS, hoc est, caro Deitati unita est passa, per Synecdochen partis pro parte. Tales ἀλλοίωσις repudiamus, ex quibus sequitur, solam humanitatem esse passam. Alias terminum κτ' ἄλλο in hac materia non defugimus, prout videre est apud celebratissimum Chemnitium de duab. nat. in Christo cap. 14. pag. 71. ibi dicit, aliter τὸ κτ' ἄλλο capi in primo hoc genere communicationis idiomatum, aliter in tertio (secundo) genere: in primo genere esse particulam distinctivam (non autem separativam) v. g. DEUS est passus κτ' ἄλλο non quidem secundum Deitatem, sed secundum humanitatem; in tertio (secundo) autem genere κτ' ἄλλο significare causam v. g. caro Christi est vivifica propter unionem, non per se &c. Quin de synecdoche quoque nullam ipsis litem moveremus, si intelligerent synecdochen non eam, quæ totum excludit, sed eam quæ totum limitat. Omnis enim actio & passio est suppositi totius, quanquam sæpè potentia agendi vel patiendi alteri suppositi parti tanquam principio quo, ut loquuntur, competat. Sic homo dicitur decollatus, ut ut principium & subiectum quo hujus passionis sit corpus, non anima. Interim homo propriè dicitur decollatus, propriè dicitur quantus, etiam si quantitas materiæ sit non formæ, propriè dicitur mortalis, etsi anima sit immortalis. Neque enim, omne id, quod de toto dicitur, dici de omnibus partibus potest vel debet. Atque hinc est, quod Scriptura non tantum dicit, Christum esse passum, sed & Dominum gloriæ crucifixum I. Cor. II. 8. Ducem vitæ occisum, Act. III. 15. *DEUM*

*proprio sanguine redemisse Ecclesiam Act. XX. 28. Quæcunq; enim de*  
*Christo dicuntur sive sint DEI sive hominis propria, hæc de utraq; na-*  
*tura intelligenda, ut uni essentialiter, alteri per communicationem at-*  
*tribuantur. Neq; enim à naturis persona est tertium quoddam, sicut ante*  
*ostensum. Quod si verè & realiter duæ naturæ in unam coivere perso-*  
*nam, adeo ut caro assumpta propria sit caro Filii DEI, sequitur, quod ve-*  
*rè & realiter possideat persona, quicquid habet humana natura, quodq;*  
*verè & realiter DEUS est mortuus, genitus ex Maria &c. Atqui verum*  
*est prius. Ergo & posterius. Dices: etiam Neostadianam admonitio-*  
*nem pag. 57. fateri Deum esse passum quatenus 1. DEUS vult obedientiam*  
*carnis 2. occultat suam gloriam 3. non repellit à natura humana mortem &*  
*ignominiam 4. sustentat in cruciatu naturam humanam 5. vult Pater æternus,*  
*ut nos recipiat in gratiam propter hanc victimam & 6. addit dignitatem huius*  
*victimæ, &c. Respondeo, nondum hæc sufficere: addendum enim*  
*DEUM esse passum per *ἰδιωματικῶς* non tantum illam, quæ Damasc. lib.*  
*III. cap. XXV. dicitur *ἕτερον*, quo modo Filius DEI sibi appropriat*  
*passiones membrorum Act. IX. 5. David contumeliam legatis factam*  
*sibi appropriavit &c. verum inprimis eam, quæ Damasceno dicitur*  
**ἡ ἰδιωματικὴ*, qua Filius DEI patitur in proprio corpore, & proprium*  
*sanguinem effundit, redundatq; tota passio in ipsum Dominum gloriae.*  
*Hinc Veterum illæ phrasæ: *Vita in ligno moritur; Deitas clavus confixa,**  
*quæ id sibi volunt, contumeliam crucifixionis in ipsum quoq; Deum*  
*redundasse. Dicunt quidè adversarii, Deum passum esse in carne perso-*  
*naliter sibi unita, sed sine appropriatione hoc factum esse dicunt, sive sine*  
*cõmunicatione priorum, tantum verbaliter & improprie. Quæ profecto*  
*ita sunt comparata, ut fenestram aperiunt hæreticis Abailardo & Soci-*  
*nianis Christi satisfactionem negantibus. Rectè B. Lutherus Tom. II.*  
*Witeb. fol. 188. *Καὶ τὸ ἀλλοτρίωσθαι*: est enim larva quædam Diabo-*  
*li: quæ tandem talem Christum fingit, secundum cujus rationes ego certè no-*  
*lim esse Christianus. Hoc enim illa vult: quod Christus nihil amplius sit, aut*  
*efficiat sua passione & morte, quam alius quispiam sanctus. Si enim persuaderi*  
*mibi poterit, ut credam solam humanam naturam pro me passam esse, profecto*  
*Christus non magni pretii Salvator erit, sed ipse tandem Salvatore eger. Et*  
*Tom. VII. fol. 530. *Sciendum id nobis Christianis est, nisi DEUS in altera**  
*lance sit & pondere vincat, nos lance nostra deorsum (ad interitum) ferri.*  
*Hoc sic accipi volo: nisi hæc vera sint: DEUS mortuus est pro nobis & si solus*  
*homo*

homo pro nobis mortuus est, actum fuerit de nobis. At vero si DEUS mors & quod DEUS ipse mortuus est, in altera lance ponitur: Jam ille deorsum fertur, nos vero instar vacuæ & levioris lance sursum tendimus. Non autem poterat in lance descendere & considerare, nisi nostri similis, hoc est, homo fieret, ut verè & rectè de ipsius passione dici posset: DEUS mortuus est, DEI passio, DEI sanguis, DEI mors. Non enim in sua natura Deus mori potest. Postquam autem Deus & homò unitus est in una persona, rectè & verè dicitur: Deus mortuus est, quando videlicet ille homo moritur, qui cum Deo unum, quiddam sive una persona est. Hæc optimè Lutherus. Deniq; invictus est ille Syllogismus, quam adversariis Lutherus opponit: Hæc persona (monstrato Christo) patitur, moritur. Hæc persona est verus DEUS, E. Verus DEUS moritur. Unde consequitur, propriè DEUM mortuum esse. Ut enim in præmissis accipiuntur termini, ita & non aliter capiendi in conclusione.

§ 8. Ad secundum genus communicationis idiomatum pergitur, idemq; maximè controversum. Quæritur, an homini Christo verè & realiter gloria & plenitudo majestatis divinæ fit communicata. Id nos constanter affirmamus, sicut postea ostendetur. Calviniani & hic fingunt ἀλλοίωσις, & phrasin illam, Christus homo est omnipotens, explicant per ἀλλοίωσιν atq; syncedochem hoc sensu, divinitas humanitati conjuncta est omnipotens, ut una natura nominatur, altera intelligatur. In Colloq. Mompelgart. pag. 265. fatetur Beza, *summa dona deitatis, que in creaturam cadere possunt, & quorum capax est natura humana, in humanitatem Christi collata esse, sed hæc dona, inquit, non sunt proprietates Deitatis, que incommunicabiles sunt: sed habitualia dona creata que natura humana in se habet, quibus omnes creaturas superat.* Et Admonit. Neostad. pag. 252. *Sicut, ait, non sequitur, ex unione deitati communicari realiter humanas; Sic etiam non sequitur ex ea, humanitati realiter communicari divinas proprietates essentielles.* Et pag. 37. *Naturis singulis in Persona Christi realiter communicari proprietates essentielles alterius nature negamus & pernegamus cum scriptura & orthodoxa Ecclesia.* Vide pag. 25. seqq. 397. seqq. lidem Neostadiani explicantes locum Col. II. 9. *In ipso habitat &c. Dicunt plenitudinem deitatis esse ipsam hominis substantiam* pag. 257. *Quæ locutio si accipiatur, ut sonat, ipsum Euty-chianismum sapit.* Orthod. Consens. pag. 125. *Cum proprietates in hac earum κοινωνία & communicatione in naturis separari planè non possint:*



nulla autem naturarum sit communicatio, sit utriusq; tamen in una hypostasi  
ἕνωσις & conjunctio, neq; etiam ulla proprietatum in naturis communica-  
tio esse potest. pag. 121. Quæ in concreto de persona ut homine dicuntur, non  
statim quoq; de natura & humanitate in abstracto prædicantur: eo quod hu-  
manitatis natura non sit illud, quo, vel cujus, ut ita dicam, habitioe Homo  
sit Deus omnipotens & adorandus. pag. 125. Eum, quæ asserat, humanam  
Christi naturam esse vivificam, invehere ait Theologiam omnibus veris Chri-  
stianis & Orthodoxis execrandam. Admonit. Neostad. censet pag. 324.  
humanam naturam omnipotentem, omnisciam, immensam facere, nihil esse  
aliud nisi eam deificare; cum idem sit, omnipotentem esse & Deum esse. Non  
ergo jam Filius DEI est caro nostra & os nostrum; sed vel aliam naturam as-  
sumsit, vel assumptam naturam nostram in alienam transformavit. Idem re-  
petitur pag. 496. Nos verè & realiter Christum Hominem participare  
de gloria DEO propria & plenitudine majestatis divinæ primum in ge-  
nere, deinde in specie probaturi, prænotanda quædam duximus. Inter  
quæ primo loco id ponimus, aliud esse proprium communicari, aliud  
proprium fieri commune. Hoc fieri per rerum naturam nequit, cum  
involvat contradictionem, nec fieri possit, ut proprium egrediatur sub-  
jectum: alterum fieri posse ipsa natura clamat. Nempe communicari  
ignem ferro, animam corpori non quidem omnes, interim quasdam pro-  
prietates, & hæc communicatio, puta cum communicat anima corpori  
potentiam videndi, vitam, &c. vera & realis est communicatio. Ob-  
strepit hic Wendelinus lib. I. cap. XVI. planè hoc falsum esse: Vitæ  
subjectum nec animam nec corpus esse, sed quod ex anima constat &  
corpore, nempe corpus animatum, cujus vita est non à sola anima, sed  
à corpore quoq;: quam, tanquam effectum corporis & animæ, in se re-  
cipit corpus animatum, planta vel animal: ita ut nec anima suas cor-  
pori proprietates, nec corpus suas animæ communicat: etsi utriusq;  
proprietates sibi totum compositum vendicat. Respondeat Wende-  
lino Aristoteles lib. II. de Anima cap. i. ubi, quid vitam vocet exprimit,  
nempe, nutritionem, accretionem &c. Notant hic Conimbricenses vitam  
dupliciter sumi, uno modo pro vita substantiali, altero pro accidentaria. Vita  
substantialis est id, à quo, ut è fonte vitales actiones dimanant, ut in homine  
anima rationalis. Accidentaria sunt ipsæ actiones vitæ, ut nutritio, accretio,  
sentire, appetere. Hæc Conimbricenses. Quod autem vita substantialis  
sit sola anima, inde patet, quia sola actus est, nempe formalis ille, qui  
Animæ

Animæ ingreditur definitionem. Adde caput secundum, ubi incipit Aristoteles quatuor vitalium operationum genera explicare, nutritionem, sensationem, motum progressionis & intellectionem, & textu 24. sic statuit; *Anima id est, ut patet, quo vivimus ac quo sentimus ac intelligimus primo.* Cap. III. accedit ad animæ (non corporis) potentias & facultates. *Potentias, inquit, animæ diximus has: nutritivum, sensitivum, appetitivum, locomotivum & intellectivum.* Cap. IV. text. 37. de corpore hæc habet: *universa namq; naturalia corpora tam animalium quam etiam plantarum, ipsius Animæ sunt instrumenta.* Ex quibus manifestum id est, quod volumus, vitam vitalesq; facultates inesse principaliter & formaliter in anima: organicè autem & instrumentaliter in corpore. Haud absimilem in modum dicimus inesse divina attributa in divinitate principaliter, formaliter atq; subjective, ut sicut anima potentiam videndi in actum deducit per oculos velut per organum, similiter omnipotentia in actum deducatur per humanitatem velut per ὄργανον conjunctissimum, proprium, ἐνυπόστατον, ἑνζῆσον καὶ ἐνεργητικόν Damasc. lib. 3. cap. 15. organon, inquam, non διακρινέν (deposuit enim Christus homo formam ministri) sed ἑντοκροτορικόν organon in ejusdem consortium majestatis evehctum. Hinc sit, ut omnipotentia prædicetur de homine Christo, neq; tamen ea humanitati Christi inest subjective per transfusionem quandam proprietatum & exæquationem naturarum: non enim subjectum Logicum cum Physico confundendum, multa quippe prædicantur, quæ subjecto non in sunt subjective.

§. 9. Cæterum distinctè videamus, quis, cui, quid, quando dederit. Quod enim attinet τὸ quomodo, illud plene in hac vita non cognoscitur, interim, nec verbaliter, nec essentialiter, sed personaliter per gratiam unionis, adeoq; realiter datum est, quicquid datum est. Quod attinet primum, dedit tota Trinitas, opera enim ad extra sunt indivisa. *Suscepit Filius carnem in proprietate, sed tamen Pater & Spiritus Sanctus non desuerunt majestate,* ut signanter loquitur Aug. serm. 3. de temp. Est nimirum tota incarnatio opus ad extra ratione efficientiæ, quanquam ratione termini, hoc est, ejus ad quod actio terminatur, opus est solius Filii, qui solus carnem assumpsit, quam tota Trinitas produxit & majestate sua implevit. Hæc autem communicatio majestatis facta in unione, nõ extra eam: neq; tamen facta est in Persona tanquã aliquo tertio à natura

tura utraq; realiter distincto. Hoc enim absurdè & falso dicitur, sicut  
 §. 4. ostensum. Familiare est Calvinianis communicationem hanc do-  
 norum, sive glorificationem Christi in tempore factam referre ad u-  
 tramq; naturam. Quo tamen ipso nihil neptius aut falsus dici vel fingi  
 potuit. Quomodo enim natura, quæ in Christo invariabilis & immu-  
 tabilis est, altius evehi potuit? Quomodo secundum eam naturam, cu-  
 jus potestas æterna est & infinita, accipere aliquid potuit? Quomodo  
 secundum eam naturam potest dici ad dextram DEI confedisse, quæ  
 ipsa est dextra DEI? Deniq; si secundum divinam naturam est subli-  
 matus, quomodo non inde sequetur Arianismus, sic ut dicendum sit,  
 divinam naturam  $\xi \lambda \gamma \gamma$  ab æterno non habuisse omnia, infinitam vir-  
 tutem ac potentiam non possedisse,  $\lambda \gamma \gamma \nu$  non esse genitum ab æterno,  
 nec  $\acute{\omicron} \mu \omicron \sigma \sigma \iota \omicron \nu$  esse Patri, neq; verè & essentialiter Deum esse? *Quicquid*  
*de Christo predicatur vel secundum divinam naturam tantum vel secundum*  
*humanam tantum, vel secundum utramq; naturam de eo dicitur,* sicut rectè  
 censent Nazianz. de Theol. l. 4. & Cyrill. Ep. 10. & 29. Porro *quicquid*  
*est datum Christo in tempore, id datum est non secundum deitatem, sed se-*  
*cundum humanitatem.* Athanas. citante Theodoro Dial. 2. *Quæcumq;*  
*Scriptura dicit accepisse Filium, sive quod glorificatus sit Filius, ratione huma-*  
*nitatis, non deitatis loquitur.* Athanas. de hum. nat. susc. & in disp. 2. cont.  
 Arian. *Exaltatio non ad substantiam verbi, quæ fuit & semper est æqualis*  
*DEO, sed ad humanitatem ejus spectat. Jam illud (donavit illi Phil. II.)*  
*non proter ipsum verbum scriptum est. Erat enim etiam, antequam homo*  
*fieret, adorandus & ab Angelis & ab universa creatura &c. neq; diminutum*  
*est verbum carnem assumendo, ut gratiam quoq; desideret accipere: sed po-*  
*tius deificavit ( $\epsilon \theta \epsilon \omicron \mu \iota \nu \omicron \nu \epsilon \nu$ ) quod induerat, & id ipsum humano generi super-*  
*addidit, &c.* Et Orat. 4. cont. Arian. dictum Matt. 28. *mihî data est o-*  
*mnis potestas &c. interpretatur de humanitate. Dicit (Christus) se po-*  
*testatem accepisse ut hominem, QUAM semper habet ut DEUS &c.* Vide  
 dicta Basilii M. Ambrosii, Chrysostomi, Cyrilli, Theodoreti, Leonis,  
 Vigilii, Theophylacti, Oecumenii in Form. Concord. pag. 846. *Dicant*  
*adversarii veritatis (verba sunt Leonis Epist. 23.) quando omnipotens Pa-*  
*ter vel secundum quam naturam Filium suum super omnia evexerit, vel cui*  
*substantiæ cuncta subjecerit? Deitati enim ut creatori semper subiecta sue-*  
*runt, Huic si addita potestas, si exaltata sublimitas, minor erat provehente,*

*nec habebit divitias eius naturæ, cuius indignit largitate, sed talia sentien-*  
*tem in societatem Arius rapuit.* Atq; hoc demonstrent cum illæ scriptu-  
 ræ locutiones, quæ vocibus constant abstractivis, *caro Christi est vivifica.*  
 &c. quanquam tales locutiones in rigore loquendo non sint abstracti-  
 væ, eo quod caro hic & in similibus prædicationibus universis non spe-  
 ctetur ut, caro præcisè & abstractè in suâ natura extra unionem, sed, ut  
 modo dicebatur, in unione, quatenus est caro Filii DEI omnia vivifi-  
 care valentis: tum illæ, quibus manifestè adduntur limitationes subjecti  
 ad humanitatè sive expressè, sive per descriptionem partium, effectorū,  
 adjunctorum hominis Psal. VIII. 5. 7. &c. Apoc. V. 5. &c. sive per addi-  
 tionem particulæ distinctivæ ut Joh. V. 27. Atq; hic minimè præ-  
 tereundus est locus Phil. II. 9 ubi habes τὸ ἐχθαρεύουτο, item ejus natu-  
 ræ, quæ humiliata est, exaltationem. At repugnat divinitati à gratia  
 aliena pendere, repugnat exaltari. Putant quidem adversari non incon-  
 veniens esse locum Pauli interpretari de Christo secundum divinam  
 etiam naturam spectato, eò quod verissimum sit, λόγον admirando  
 modo semet humiliasse, cum nostri causa homo fieri dignatus est. Ve-  
 rum non est hæc nos inter & ipsos controversia, an λόγος suo modo  
 se humiliaverit, sed, an præsens Pauli testimonium propriè & directè  
 agat de hujusmodi humiliatione, quæ λόγος, quatenus est λόγος,  
 attribui possit. Nulla ratione id permittit textus. Agitur enim non de  
 humiliatione activè sumpta, sed passivè, de forma servi, de exinanitione  
 reali, de obedientia, secundum quam sustinuit morrem, quæ velut limes  
 & terminus obedientiæ illius erat, unde porro consequitur, secundum  
 quam naturam Christus est exinanitus, secundum eam esse exaltatum.  
 Atq; inde est, quod dicitur ei donatum nomen super omnia, excelsior  
 & præstantior γένομεν Angelis Hebr. I. 4. Sed de hac præstantia &  
 excelsitate quæritur, an finita tantum, creata & habitualia dona comple-  
 ctatur tantum, an vero etiam infinita & increata. Posterius nos tue-  
 mur, quanquam & hoc notari velimus, inter proprietates divinas di-  
 stinctionem quandam esse. Aliæ nimirum sunt, quæ communicari &  
 potuerunt & debuerunt, ut humanitas Christi obeundis officii media-  
 torii partibus sufficiens & par esset: aliæ autem tales, quas communi-  
 cari immediatè implicat contradictionem, uti sunt, independentia, quæ  
 creaturæ competere: immensitas, quæ cum finito & circumscripto

D

corpore

corpore stare nequit: aternitas, quæ tempori: Spiritualitas, quæ corpori repugnat &c. Quomodo in homine anima certas proprietates non omnes sed *ἐνεργητικὰς* seu tales, quæ ad operationem quandam tendunt, communicavit corpori v. g. potentiam videndi, audiendi &c. non autem spiritualitatem & immortalitatem. Cæterum hic distinguenda est *κτῆσις* possessio ab usurpatione seu *ζῆσις*: gloria illius possessionem Christus homo per unionem personalem in ipso incarnationis momento accepit, sed detinuit eam in statu exinanitionis per voluntarium obicem: exierit autem plane & plenè in statu exaltationis. Ubi iterum distinguenda est usurpatio particularis, quam in statu exinanitionis admittere nos jubet sacra scriptura, ab universali, quam negamus. Deniq; cum communicari gloriam Filii DEI humanitati dicimus, patet hanc communicationem non esse mutuam vel reciprocam: neq; enim humanitas dare aliquid perfectionis potest infinitæ Deitati, sicut materia formæ nihil dat perfectionis, sed accipit tantum. Quod de propria gloria Filii dicimus iidem de operationibus quoq; dicendum. Hic notamus ex Cl. Schrödero Scept. regal. Christi pag 44. quod *communicatio operationum sit gemina: una, quæ consideratur in mutuo concursu diversarum operationum divinæ & humanæ nature ad commune ἀποτέλεσμα*: altera, qua operationes divinæ nature, vivificam esse, operari miracula, gubernare omnia &c. communicantur cum organo carnis, non autem vicissim operationes humane nature cum Deitate. Illa est mutua: hæc non. Non enim dicendum: divina natura ambulat, bibit, moritur. Hæc ille.

§. 10. Pro adstruenda theses nostræ orthodoxia sequentia militant argumenta. Quemcunq; gloriam Filius DEI ab æterno apud Patrem habuit, eam à Patre petiit & accepit Homo Christus. Atqui non aliam quam infinitam gloriam habuit Filius DEI ab æterno apud Patrem. E. gloriam infinitam à Patre accepit Christus homo. Conclusio evincit gloriæ infinitæ communicationem factam esse Christo homini. Major est Joh. XVII. 5. ubi Christus homo, Pater, inquit, glorifica me apud te ipsum eâ gloriâ, quam habui apud te priusquam mundus esset. Excipiunt hic Calviniani, non intelligi gloriam infinitam sed gloriam mediationis, 2. id dici, fuisse eum ab æterno ad hanc gloriam destinatum. 3. sermonem esse de manifestatione glorificationis coram hominibus hæctenus absconditæ. 4. proprietates DEO essentielles non

non posse esse consequens obedientiæ. Respondeo ad primum, siquidem per gloriam mediationis intelligant gloriam non infinitam sed finitam, quod facit Polanus lib. II. Syntag. Theol. cap. 31. fol. 190. manifestum est, hanc Christum non habuisse ab æterno. Ab æterno enim nihil fuit finiti: ab æterno non sedit Christus ad dextram DEI, quam esse gloriam mediationis vult Polanus. Unde consequitur, non potuisse dicere Christum hac stante glossa, se habuisse illam gloriam antequam mundus fieret. An autem sessio ad dexteram DEI essentielles contineat DEI proprietates, alia quæstio est. Negant id Calviniani. Sed eadem opera, negent dextram DEI soli DEO propriam gloriam denotare. Longè melius Cyrill. lib. XI. thesauri cap. 17. *Gloriam suam, quam semper habuit ut DEUS, ut homo petiit, nec quia gloriæ propriæ unquam expers post, hæc ab eo dicuntur, sed quia in gloriam, que sibi semper adest ut DEO proprium templum subducere volebat.* Hilar. de Trin. lib. 3. *Verbum caro factum orabat, ut id, quod te tempore erat gloriam ejus claritatis, que sine tempore est, acciperet.* Greg. Nyss. citante Theodoro Dial. 2. de dicto ille Petri, dextra DEI exaltatus est: *Ipsa dextra uniuersum sibi hominem in propriam suam euexit celsitudinem seu sublimitatem per unionem.* Summa, quamcunq; gloriam Christus qua DEUS apud Patrem ab æterno habuit, ea hic intelligitur. At infinitam habuit, non finitam. Ergo. Si quærant Calviniani, quomodo hoc fieri possit, meminerint, rationem captivandam esse sub obsequium fidei, & *Veritatis simplicitatem per scrupulositatem plerumq; fide nutare*, ut ait Tertuli, ad Nation. lib. 2. cap. 3. Ad 2. dico, repugnare glossæ huic textum. Dicit enim Christus se habuisse illam gloriam, quam in tempore sibi conferri petiit, *ἐχειν*, inquit, idq; *παρὰ σου*, non in decreto tuo, sed apud Te. Ad 3. resp. reclamare verba apertissima Christi: *Glorifica me Pater ὡς ἡ σεαυτὸν*, apud te ipsum. Ad 4. distinguendum inter possessionem & uniuersalem usurpationem: hæc fuit præmium obedientiæ, non illa. Deinde producimus locum Joh. I. 14. *Verbum caro factum & habitavit in nobis, & vidimus gloriam tanquam unigeniti à Patre.* Hic habes, *ὃν λέγειν* communicasse gloriam suam cum humanitate, adeoq; humanitatem Christi, quæ habitaculum est deitatis, habuisse gloriam unigeniti à Patre. Confer cap. II. vers. n. ubi dicitur gloriam suam homo Christus manifestasse per miracula. At hæc nisi à divina & infinita

virtute proficisci non possunt. Adde locum Coloss. II. 9. ubi habes: totam plenitudinem Deitatis habitare in Christo homine *σαρκατικῶς*. Augustinus cont. Felicianum cap. II. Injuria sui corporis affectam non fa-  
 zeor Deitatem, sicut Majestate Deitatis glorificatam novimus carnem. Theo-  
 doret. cap. de Antichristo: Verbum homo factum non particularem gra-  
 ziam contulit assumptæ naturæ, sed totam plenitudinem Deitatis complacuit  
 in ipso habitare. Quomodo Deus est carne? verba sunt Basilii M. citante  
 Form. Conc. pag. 861. Sicut ignis in ferro, non transitive, sed communica-  
 tive. Non enim excurrit ignis ad ferrum, sed manens in suo loco communi-  
 cat seu impertit ferro ignito propriam suam facultatem, nec communicatione  
 illa minor fit, sed seipso totum ferrum replet, quod particeps est ignis.  
 Quomodo vivificat caro Christi? verba sunt Cyrilli. lib. 5. Dialog. secundum  
 unionem cum vivente verbo, quod & suæ naturæ bona proprio corpori com-  
 munia solet facere. Deniq; sic argumentamur: Quicumq; datus est Spi-  
 ritus Sanctus non ad mensuram, ille accepit infinita dona. Atqui  
 Christo homini datus est Spiritus Sanctus non ad mensuram. Ergo  
 Christus homo accepit infinita dona. Minor est Joh. III. 34. Excipit  
 Wendelinus: sensum hunc esse posse, Patrem Christo DEO communicasse  
 totam Deitatis plenitudinem. Aut si intelligendus est hic locus de humana  
 natura, non posse inde evinci communicationem immensorum bonorum, signi-  
 ficari totalitatem donorum spiritualium & perfectionum, quatenus in crea-  
 turam ea cadit &c. Respondemus, si sic pergunt Calviniani corrumpere  
 scripturas, recta via ibitur ad Arianismum. Quem sapit & posse illud  
 Wendelini & glossa ipsa de datis in tempore Filio DEI ipsi excellentius  
 divinis. Cæterum intelligenda esse infinita dona, litera clamat absolutè  
 posita, sine mensura. Cui tantisper inhærendum ducimus, dum causam  
 factis validam & urgentem adversarii protulerint, cur ab ea sit receden-  
 dum. Nos inexhaustum & infinitum fontem hominis Christi agnosci-  
 mus, quippe ex cujus plenitudine haurimus & accipimus omnes Joh. I. 16.  
 Act. II. 33.

§. II. Ex iis, quæ demonstrata sunt, liquido apparet, quis, cui, quid  
 dederit. Nempe dedit DEUS homini Christo gloriam majestatis suæ.  
 Et hoc est fundamentum, & causa, cur homo Christus adoretur. Si  
 enim tantum finita dona accepisset, utiq; cultus religiosi soli DEO pro-  
 prii capax minimè esset. Sed in specie agamus de hoc axiomate com-  
 municato soli DEO competente, de dignitate recipiendi religiosam  
 adora-

adorationem. Hanc Calviniani in scriptis suis variè impetunt. Danæus in Exam. lib. Chemn. pag. 415. hæc habet verba: *Ad ipsam Christi carnem etiam in unione personæ manentem propriè & per se non dirigitur aut spectat illa nostra invocatio & adoratio, quia, qui ad ipsam Christi carnem suam adorationem dirigit, ex ipsius DEI ore maledictus est.* Jerem. XVII. 5. *est idololatra* Gal. IV. 8. *DEUM blasphemat* Deut. IV. 6. &c. *cum Christus quâ homo sit conservus noster* Apoc. XIX. 10. &c. Hanc blasphemiam approbat Beza in Colloq. Mompelgart. pag. 35. qui pag. 344. profiteur, Calvinianos totum Christum adorare, sed non *totum Christi, hoc est, humanitatem cum Deitate*, quod hac similitudine explicat: *Regem vel principem adoro purpuratum dextra tenentem sceptrum.* In illa adoratione non respicio vel ad coronam, quam in capite gestat, aut ad purpuram, quam indutus est, aut ad sceptrum, quod in manu tenet. Sohnius, Martinus & Remonstrantes gradus quosdam religiosæ adorationis confingunt, Papistarum dulciæ, superdulciæ & latricæ haud absimiles: contententes, *carnem Christi non debere adorari adoratione DEI, hoc est, DEO debita, sed adoratione aliqua inferiori, neq; tamen civili sive politica, sed verè religiosa, quæ sine scelere gravis blasphemie nulle creaturæ possit exhiberi.* Remonstrantes Apolog. pag. 154. *Personam, inquit, Jesu Christi, una adoratione adorare & quidem simul cum carne sua ut adoranda, quid aliud est, quam Christum, etiam quatenus homo est, objectum formale adorationis constituere?* Sed notamus, objectum adorationis formale, per se, absolutum & primum, intrinsecè continens & terminans rationem adorandi solam divinitatem esse, humanitatem vero objectum materiale, secundarium & respectivum, quod propter excellentiam, non propriam sed appropriatam & communicatam colitur. Interim DEUS & homo una colitur adoratione. Sicut enim gloria infinitæ majestatis una & eadem  $\theta\epsilon\alpha\nu\delta\rho\omega\pi\alpha$  DEO atq; homini tribuitur, DEO, ut subjecto inhæSIONIS, homini ut subjecto prædicationis: ita unus idemq; cultus divinus DEO proprius, homini appropriatus à nobis statuitur. Simul patet, quid respondendum sit ad Quæstionem; An Christus, quâ Mediator, sit religiosè adorandus. Quod omnino affirmandû, ita tamen ut ratio formalis, sub qua Christus etiam quâ mediator est, adoratur, sola sit divinitas. Quare eandem adorationem tribuimus naturis unitis, & desestamur adversariorum negativam, in quibus Wenedelinus: *Eadem, inquit, utriq; nature non tribuuntur, sed divina divina, humana*



*mana humanæ, personæ tamen simul omnia. Blasphemum est, adorationem & cultum humanum dicere Personæ Filii DEI tribuendum. Orthodoxia nostra patet ex locis Scripturæ innumeris, in quibus familiam hæc ducunt. Phil. II. 9. 10. Rom. XIV. II. Christus homo dicitur accepisse ex gratia (non ergo de DEO intelligi potest) nomen super omnem nomen, ut in nomine Jesu flectantur omne genu. At hæc est descriptio adorationis soli DEO debitæ Esa. XLV. 23. Joh. V. 22, 23. seqq. habes ἰσοτιμίαν sive æqualitatem honoris competentem Christo homini pariter & DEO. Apoc. V. 12. Dignas est agnus mactatus, qui accipiat virtutem & divitias & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem. Et vers. 13. Sessori throni & Agno benedictio & honor & gloria & robur in secula seculorum. Habes & hic ἰσοτιμίαν. Facebant ergo gradus adorationis & in malem rem abeant. Adde exempla Sanctoctorum Joh. IX. 35. XX. 27. 28. Act. VII. 56. Ebr. I. 6. &c. Deniq; sic concludimus: si caro Christi in cæna manducatur fide, utiq; in eam credendum. Si credendum, utiq; ea est adoranda adoratione soli DEO debita. At verum est antecedens. Ergo & consequens. Vid. Rom. X. 14. Johan. VI. 53. seqq. Adde argumenta valida è consensu antiquitatis, ipsorumq; adeo adversariorum petita. Quisquis negat, una adoratione venerandum Immanuelem, unamq; ei glorificationem dependendam, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit, ut habet anathematismus VIII. Concilii Ephesini. In cujus defensione Cyrillus docet, eam, qui non dicat unicum filium unica confidentia honoratum esse, sed duabus, ita, ut una propria tributa sit corpori, altera verbo, divellere unitatem personæ. Adstipulatur Concilium Occumenicum V. Si quis non una adoratione DEUM verbum incarnatum cum ejus carne adoraverit, anathema sit. Concil. Constant. V. Canone VII. censet, eum, qui duas introducit adorationes, dissepurare naturas in persona Christi. Theodoret. Ephes. I. Quod vero, inquit, assumpta ex nobis natura ejusdem honoris cum eo, qui assumptus, sit participans, ut nulla videatur adorationis differentia, sed per naturam, quæ cernitur, adoretur, quæ non cernitur, divinitas, hoc vero omne miraculum superat. August. in Psal. XCIIIX. Scabellum est terra, & Christus suscepit terram de terra, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit. Invenitur ergo est, quomodo adoretur tale scabellum pedum.*

*pedum domini ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Hæc ille. Non male rem totam explicant Theologi Leidenses in Censura Confessionis Remonstrantium, nisi quod de adjuncto inseparabili nimis crude philosophantur. Verba eorum hæc sunt: Quandoquidem divina natura cum humana in una persona mediatoria conjuncta est, hinc fit, ut una adoratione mere divina, non duabus distinctis, nec una ex duabus mixta, à nobis colatur, in qua objectum formale & causa propria sive terminus est divina tantum natura, que hujus cultus per se tantum est capax, humana vero natura in eadem persona ut & officium mediatoris, quatenus ad humanam quoque naturam spectat, sunt objectum considerationis in eadem adoratione: quoniam Christum adoramus, quia filius DEI ac verus DEUS est, & quia ei in mediatoris quoque officio, divinæ plane proprietates & operationes conveniunt, ita tamen ut simul in eo consideremus non tanquam objectum formale aut causam propriam seu terminum adorationis, sed tanquam adjunctum personæ adorandæ inseparabile atque ἐν ἑνὸς ἑστῶν humanam ejus naturam & operationes, quas tanquam per humanam quoque naturam ad salutem nostram exercuit. Camero Tom. III. Oper. qq. ad Ebr. I. v. 2. Christo, inquit, adoratio debetur vel ob naturam divinam vel ob officium mediatorium. Postquam enim DEI filius idem homo est ac mediator noster, neque natura divina seorsim, neque humana seorsim consideranda est. Sed neque inter adorandum Christus qui idem DEUS & homo est, exuendus est officio mediatoris atque ita à nobis considerandus nudè: sed ut propheta, ut sacerdos, ut rex Ecclesiæ: actus enim adorandi unus cum sit, ista omnia conjunctim respicit in Christo. Si tamen fieri posset, quod omnino fieri non potest, ut qui mediator est verè & propriè, idem non esset DEUS, Mediator adorandus non esset, eò quod hic cultus merè divinus & religiosus est DEO debitus, non modo gradu, sed specie ab omni alio cultu diversus.*

§. 12. Tantum de dignitate accipiendi adorationem religiosam. De omnipotentia quaeritur, an & hæc communicata sit. Affirmamus, & urgemus loca manifesta. *Mihi, inquit Christus, data est omnis potestas in cælo & terra, Matth. XXII. 13. Filio hominis Dan VII. 14. dicitur datus esse dominatus, gloriaque & regnum, ut omnes populi nationes & linguæ ei serviant: cujus dominatus est dominatus perpetuus, qui non præterit, & regnum ejus regnum, quod non corrumpitur, Matt. XI. 27. Christus omnia sibi tradita esse à Patre asseverat, id quod repetitur Joh. XIII. 3. & XVII. 2. Ubi datam sibi dicit potestatem in omnem carnem, quo ipso non notari ali-*

quid

quid finitum, clarum est ex Num. XVI. 22. XXVII. 16. Jerem. XXXII. 27. Seniores Apoc. V. 12. voce magna dicunt: *dignum esse agnum illum mandatum, qui accipiat potestatem & divitias & sapientiam & vires & honorem & gloriam & benedictionem, quibus concinunt omnes res conditæ, quæ in cælo sunt & quæ in terra & sub terra & in mari, & quæ in eis sunt omnia: ei qui insidet throno & agno benedictio & honor & gloria & robur in secula seculorum.* Excipiunt ad hæc Calviniani & ad locum quidem Matthæi, 1. intelligi eum de collectione & gubernatione Ecclesiæ, quæ sit potestatis finitæ aut mediæ cujusdam inter finitam & infinitam 2. agi de officio non de potentia 3. agi de omni *ἐξουσία* potestate sine jure, quale habeat v g. Princeps. aliquis terrenus delendi omnes hostes suos, utut non habeat *δύναμιν* vires & potentiam, &c. Respondeo, non de sola Ecclesiæ sermonem esse, sed de omnibus creaturis. Sed ponamus & concedamus, de tali potestate esse sermonem, cujus vi colligit sibi Christus homo Ecclesiæ, eamq; tuetur. Hoc profecto non est finitæ virtutis. Neq; dici debet esse infinitam respectu DEI, finitam respectu hominis. Sic enim contra principia disputatur, quando uni eidemque voci semel positæ simul potestatem finitam & infinitam significandi vis attribuitur. Inepti sunt qui dicunt potestatem officii intelligi, quæ nec finita sit nec infinita. Nam & sic contra principia disputatur, Vid. Damasc. lib. III. cap. XV. & porriguntur arma Socinianis, contendentibus, dari Ens, quod nec finitum sit nec infinitum, nec creator nec creatura. A quibus quam proximè absunt adversarii, cum dicunt geminam esse potestatem, alteram superiorem & infinitam, alteram inferiorem & finitam, item Christum esse Patris vicarium, & habere jus secundarium, & quæ sunt hujus furfuris alia, quorum nulla fundamenta possunt monstrari ex Scripturis. Deniq; dicere, sicut solent nonnulli, potentiam Christi hominis ideo statuendam finitam, quia nominibus illis cæli & terræ velut certis finibus & limitibus circumscribitur, hæc, inquam, dicere, est petere id, quod est in principio, imo disputare contra principia. Quis enim nescit stylo scripturæ omnipotentis DEI imperium describi expressione cæli & terræ? I. Paral. XXIX. II. sic DEO benedicit David: *Tua est, ô Jehovah, magnitudo & potentia & gloria & æternitas & majestas, imo omnia in cælo & in terra* Ipse Christus Matth. XI. 25. *Gloriam, inquit, tibi tribuo Pater Domine cæli & terræ.* Ad eundem modum Abraham Gen. XIV. 22. summam DEI omnipotentis potestatem.

rem describunt. Ergone dicendum, omnipotentiam vel omnem potestatem DEI esse finitam? Ad II. Respondemus confundi officium ipsum Christi Regis, cum potestate, qua Christus homo in officio suo utitur. Hac adversarii volunt esse finitam, à qua procedere debeat *δυνατεία* virtutis infinitæ. At hoc fieri per rerum naturam nequit. Concedunt nonnulli ex adversariis, quod omnipotentia sese in humana natura exserat, quodq; humanitas deitatis organon sit, sed addendum, quod se exserat, quatenus ei, communicata & verè atq; realiter possidetur. Nam & per Apostolos se exsererat Phil. IV. 13. at alia ratio hominis Christi. *Divina Christi voluntas*, inquit, Damascenus lib. 3. cap. 18. *erat æterna & omnipotens, humana vero ejus voluntas à tempore cæpit, & naturales innoxias affectiones sustinuit. Et naturaliter non erat omnipotens, ut autem verè & secundum naturam verbi DEI voluntas est facta, & omnipotens est, hoc est, ut explicat commentator, divina voluntas suapte natura habet potentiam omnia efficiendi, quæ velit: humana vero Christi voluntas non sua natura habet omni efficacem virtutem, sed ut Deo verbo unita.* Et cap. 19. *Caro operanti Deitati verbi COMMUNICAT, ideo, quod divinæ operationes per organon corporis persciantur, &c.* Athanasius de Ariana & Catholica Confessione: *DEUS non est mutatus in humanam carnem vel substantiam, sed in seipso, quam assumpsit, glorificabat naturam, ut humana infirma & mortalis caro atq; naturæ divinam profecerit in GLORIAM ita ut omnem potestatem in cælo & terra habeat, quam antequam à verbo assumere- retur, non habebat.* Eustachius citanti Theodoreto Dial. 2. *Christus ipso corpore ad proprios venit apostolos, dicens: data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, quam potestatem accepit extrinsecus templum ET NON DEUS, qui templum illud præcipua pulchritudine edificavit.* Ad III. respondebis, hoc effugium tam stultum esse, ut ipsi Zanchio displiceat lib. II. de incarn. quæst. 12. pag. 400. Adde Martinum in Theol. pag. 122. aliosque qui ex hoc loco æternam Christi Deitatem colligunt, quæ collectio nulla est, si Calvinistica glossa locum haberet. Cæterum, quanquam *ἐξουσίαν* & *δύναμιν* profani Autores forte distinguunt, in N. tamen Test. sæpè connectuntur seq; mutuo explicant. Confer Luc. XXII 19. cum Matt. XXVI. 64. Vide Luc IX. 1. IV. 36. X. 19. I. Cor. XV. 24. Eph. I. 21. III. 20. 21. Apoc. XVII. 13. I. Pet. III. 22. Estq; *ἐξουσία* velut exercitium *δυνάμει* Joh. XVII. 2. Matt. XXIV. 10. Luc.

XXII. 69. Act. X. 38. Phil. III. 21. adeoq; Christo homini expresse tribuitur non tantum ἐξουσία, verum etiam δυνάμις καὶ ἰσχύς potentia & fortitudo Apoc. V. 12. Quare sic concludimus: Illa ἐξουσία πᾶσι de qua loquitur Christus, aut est ipsa omnipotentia πᾶσι δυνάμις, aut omnipotentiam includit aut caret δυνάμει & virtute. Si primum & secundum, habemus intentum. Si tertium, titulus sine re attribuitur Christo, quod falsissimum vel Leidensium judicio, quorum Disp. XXVIII. thes. XXVI. hæc sunt verba: *Hæc Christi capitis gloria non est titularis, sed cum potestate imperio in omnes creaturas etiam conjuncta, quæ tanquam Rex & gubernator omnium, verbo & spiritu suo Ecclesiam efficaciter e mundo colligit, & potentia sua adversus mundum & Satanam conservat & tuerit, &c.*

§. 13. Hæc omnipotentia communicata in tres velut furculos dividitur, nimirum, potentiam miracula edendi, potentiam vivificandi, deniq; potentiam judicandi orbem terrarum, quæ pariter infinita sunt dona. De virtute miracula edendi testantur loca plurima Matt. IX. 3. Act. X. 38. &c. in primis Luc. IX. 46. ubi Christus ait virtutem sanandi A se prodijisse. Derestanda est vox Danæi in Exam. lib. Chem. pag. 118. & 156. ubi dicit, *naturam Christi humanam in patrando miraculis plus non fecisse, quam fecerit virga Moysi, in miraculo coram Pharaone edito. Stolidum plane est, inquit Hutterus L. C. pag. 162. quod Calvinianorum nonnulli hoc loco audent distinguere inter ἐπεργείας omnipotentis & inter δποτελέσματα θεου δεικνύμενα: quasi ad hæc quidem, non vero ad illas perficiendas efficaciter concurrat caro Christi. Quis enim ita bardus sit, ut negare audeat, miracula esse omnipotentis ἐπεργείας? Siccine ergo cæcos visu, surdos auditui, multos vocis usui restituere, leprosos sanare, imo vel absentes etiam verbulo duntaxat curare: quin jam verè mortuos in vitam revocare, & quæ hujus generis stupenda opera sunt alia, humana non vero divine sint ἐπεργείας sed nimirum hoc sibi volunt Sophistæ hac distinctione: ex divina quidem virtute oriri hæc miracula, sed in eorum executione, nullam prorsus inter Christum quoad humanitatem & Apostolos esse differentiam: ita ut quemadmodum his ita illi externum tantum ministerium relinquatur. Quo num quicquam magis impium & auditu intolerabilius in Ecclesia DEI unquam vel dictum vel scriptum sit merito dubitatur. Optimè Athanas. Dial. V. Trinit. SICUT anima in corpore: Sic DEUS λόγος & unicus homini edidit prodigia non separatus à natura assumpta: sed placuit ei IN EA, CUM EA, & PER EAM*  
poten-

potentiam suam divinam exere. Hæc Athanasius, cui nos toto pectore  
subscribimus. Non secundum propriam operationem, sed propter unitum  
sibi verbum operabatur (caro Domini) verbo per eam propriam operatio-  
nem manifestante. Nam & ferrum ignitum urit, non naturali ratione possi-  
dens usfricem operationem, sed obtinens eam ex unione ignis & ferri. Ipsa  
igitur caro Domini mortalis erat propter seipsam, & vivifica propter hyposta-  
ticam ad verbum unionem. Damasc. lib. III. cap. 17. De virtute vivifican-  
di tum spiritali tum corporali loquuntur expressi Scripturæ textus,  
Matt. IX. 6. Christus ait se ut Filium hominis habere potestatem in terra re-  
mittendi peccata. Caro Christi est panis vita, Joh. VI. 33. 50. seqq. Adde  
I. Cor. XV. 21. Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivi-  
ficantur. Joh. XI. 25. dicit Jesus: Ego sum resurrectio & vita. Execranda  
vero est audacia & temeritas Orthodoxi Consensus, cujus verba allega-  
ta sunt §. 8. nec nisi anathemate elidenda, quod suggerit Concilium  
Ephesinum Canon. II. Si quis non confiteatur, carnem Domini esse vivificam,  
propterea quod propria facta est Verbi, quod omnia vivificat, anathema sit.  
In cujus anathematissimi explicatione Cyrillus dicit: Nestorium voluisse  
vivificandi vim tribuere carni Christi, sed sententias Joh. VI. exposuisse de  
sola divinitate Tom. IV. pag. 140. Deniq; potestatem judicandi huma-  
nitati Christi esse communicatam, patet ex Matt. XXVI. 64. ubi con-  
fessui Sacerdotum & Seniorum dicit Christus, quod sint visuri Filium  
hominis sedentem ad dextram potentie DEI & venientem in nubibus cæli. Et  
clarissime Christus Joh. V. 27. potestatem sibi datam esse ait iudicium exer-  
cendi, quatenus Filius hominis est. Ad quæ verba Cyrillus lib. 2. In Johan.  
cap. 144. Christus causam subjecit, quare vitam & potentiam iudicii sibi à  
Patre data dixerit, inquiens (quia Filius hominis est) ut intelligamus omnia  
sibi data esse ut HOMINI. Ipsi quoq; Angeli Act. I. II. confirmant, eundem  
Jesum, qui ascendit in cælum, venturum ad iudicandum vivos & mor-  
tuos, quod & in Symbolo Apostolico consistemur. Tantum de omni-  
potentia ejusq; surculis, quibus adde omniscientiam. Qui enim est o-  
mnipotens, is etiam est omniscius. Scit enim omnia quæ facere potest.  
Sed & de hac extant loci Scripturæ clarissimi, Esa. XI. 2. Super Filio ho-  
minis quiescere dicitur Spiritus Jehovæ, Spiritus sapientie & intelligentie,  
spiritus consilii & potentie, Spiritus scientie & reverentie Jehovæ. Joh. II.  
24. causam exponens, cur Jesus non crederet semetipsum Judæis, hæc  
subjungit; non opus erat, ut quisquam ei testaretur de homine: ipse enim  
sciebat,

sciebat, quid esset in homine, ipse noverat omnes. Et cap. VI. 64. Jesus à principio dicitur scivisse, quinam essent credituri, quinam non credituri. At disertè Petrus Joh. XXI. 17. Domine, inquit, tu omnia nosti. Colofs. II. 3. in Christo omnes thesauri sapientiæ & notitiæ absconditi dicuntur. Adde exempla *κατά τὴν σοφίαν* Matt. IX. 4. XXI. 2. &c. Et hæc omniscientia liquet ex cultu adorationis & judicandi facultate, de quibus dictum. Necessum enim, eum, qui adoratur, quiq; fit judicaturus orbem terrarum in justitia, omnium rerum scientiam habere, etiam intimorum cordis recessuum & latebrarum. Nihil attinet, Scripturæ dicta citata de sola divinitate explicare, sicut magna temeritate faciunt Calviniani, super arena struentes immensas subtilitatum vanissimarum moles. Audiamus Damascenum, sententiæ Veteris Ecclesiæ interpretem lib. 3. cap. 19. *Caro operanti Deitati Verbi COMMUNICAT, ideo quod divinæ operationes per organum corporis persciebantur: ita sancta ejus mens etiam naturales suas operationes operatur. Communicat autem & Deitati Verbi operanti ac gubernanti IPSE etiam intelligens, cognoscens & disponens totum universum, non ut hominis mens, sed ut DEO secundum hypostasin cuncta & DEI mens constituta.* Et cap. XXI. *Humana natura in Christo essentialiter non possidet seu obtinet futurorum cognitionem, sed ut DOMINI Anima, propter unionem ad ipsum Deum verbum locupletata est cum reliquis divinis signis etiam futurorum cognitione. Nos ergo dicimus, unum Christum eundemq; SIMUL DEUM & HOMINEM omnia scire: in ipso enim (NB.) omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt.*

§. 14. Et hæc de secundo genere communicationis idiomatum sufficiant. Ad tertium progredimur, ubi disceptatur, an in operibus officii caro operetur supra naturales vires. Negant id Calviniani, contentendres, *Christum sua humanitate non exaudire omnes, non servare omnes, non dare Spiritum Sanctum: solius hæc Deitatis propria esse, ideoq; homini Christo convenire, non quæ homo, sed quæ DEUS est: negant, Christum humanitate sua portare omnia, negant, carnem Christi operari ad vitam eternam, negant, divinitatem exercere totum opus vivificationis & mundationis per humanitatem, negant deniq; probari posse, Johannem loqui de expurgatione peccatorum, cum inquit sanguis Jesu Christi emundat nos, &c.* Vidc Admonit. Neostad. de his omnibus pag. 79. 233. 271. 273. seq. Ut autem tertium hoc genus communicationis idiomatum tanto melius intelligatur ex Damasc. lib. III. cap. 15. distinguenda i. subjectum operationis,

tionis, seu principium ut quod; quæ est persona, ὁ ἐνεργῶν 2. Principium  
 ut quo, τὸ ἐνεργητικόν, quæ sunt naturæ Christi, divina tanquam causâ  
 principalis, humana tanquam instrumentalis unita & conjunctissima  
 3. ipsa operatio, ἐνεργεῖα θεανθρώπη cap. XIX. v. g. pro peccatis totius  
 mundi passio humanitatis, ejusq; elevatio supra humanæ naturæ vires  
 4. ipsi opus, ἀποτέλεσμα v. g. deletio peccatorum, reconciliatio  
 cum D E O, &c. Notanda enim hic est regula antiquitatis: *Utra-  
 que natura agit, quod suum est, sed cum communicatione alterius.  
 Non diversas enim dicimus actiones, usque diversè agentes naturas  
 sed unitè unamquamq; cum alterius communicatione agentem idipsum quod  
 propriam habuit.* NEQUE enim HUMANA HUMANE operantur  
 (quandoquidem non nudus erat homo) neq; divina secundum DEUM solum  
 &c. Damasc. lib. III. cap. XIX. Ex dictis patet, opéra officii rectè re-  
 ferri ad idiomatum communicationem, ejusq; peculiare genus consti-  
 tuere: nisi fortè velis vocare communicationem operationum propria-  
 rum, de qua vide Chemnitium lib. de duab. nat. cap. 12. Ubi enim est  
 ἴδιον, καὶ κοινωνία, ibi est communicatio idiomatum. Atq; hic est  
 ἴδιον, hic est κοινωνία. Ergo. Cœterum operari carnem Christi in ope-  
 ribus officii mediatorii supra naturales vires constat ex disputatis & evi-  
 ctis. Si enim verè participat humanitas Christi de majestate & gloria  
 DEI, sequitur eam per illam communicatam majestatem agere in ope-  
 ribus officii. Atqui verum prius, ut patuit. E. & posterius. Majoris  
 connexio clara est. Eum enim in finem communicata fuit gloria &  
 plenitudo majestatis divinæ, ut humana natura apta esset exercere opera  
 mediatoria, Prophetica, Sacerdotalia, Regia. Neq; enim vel secundum  
 divinitatē solam, ut Osiander, vel humanitatē solam, ut Srancarus sensit,  
 sed secundum utramq; naturam Christus mediator est. Quæres, si se-  
 cundum utramq; naturam est mediator quo pacto τὸ secundum sit ca-  
 piendum, specificativè, an verò reduplicativè? Respondeo, specificati-  
 vè: imo, si τὸ secundum capiatur ita, ut reduplicet ipsas naturas in unio-  
 nē consideratas capi etiam reduplicativè potest, non verò ut reduplicet  
 naturas in & per se atq; formaliter consideratas. Præterea, cum dicitur,  
*sanguinem Jesu Christi mundare à peccatis* I. Joh. I. & *reconciliare cum DEO*  
 Rom. V. 9. 10. tum ratione actus illius vel agit supra vires humanas na-  
 tura humana, vel non agit. Si agit, habemus intentum. Agere autem



sic probamus: si suis viribus natura humana vel sanguis humanus non  
 potest mundare à peccato, sequitur, naturam humanam supra vires suas  
 elevatam agere. Atqui verum prius. E. & posterius. Major patet.  
 Minor ex innumeris scripturæ locis constat, in quibus mundare seu de-  
 lere peccata ceu DEI proprium describitur. Neq; est, quod dicas esse  
 Synecdochen. Nullus enim Rhetorum talem tradidit synecdochen, ut  
 aliquid de una parte v. g. humanitate & sanguine prædicetur, attribu-  
 dum toti personæ, & rursum per aliam synecdochen tribuatur alteri  
 parti & naturæ v. g. divinitati. Tales Synecdochæ partis pro parte sunt  
 confictæ & inauditæ. Qui dicunt, sanguinem Christi mundare merito,  
 non autem efficacia, quid dicant, nesciunt, imo sua vinæta cedunt.  
 Nam & merito mundare infinitam virtutem præsupponit, adeoq; me-  
 ritum infiniti valoris excedit humanas vires. Cæterum, quod efficacia  
 quoq; sua mundet, patet inde, quod sanguine illo dicamur reconciliati,  
 justificati, salvati, dicantur peccata expiata, Satanas infernus & mors  
 devicta Matt. XII. II. Rom V. 9. 10. III. 25. I. Tim. II. 5. Ebr. II. 14. &c.  
 Tantum de tertio genere communicationis idiomatum, in quo duæ  
 priora concurrunt. Nam hic & Christus à divina natura denominatus  
 non tantum divina sed & humana mediante persona sibi appropriat,  
 & rursum humana non humana tantum operatur, sed & per infinitam  
 illam excellentiam sibi communicatam operatur divina. Quorum illud  
 ad primum genus pertinet: hoc à secundo dependet. Non malè hanc  
 ἐνεργειῶν sive operationum communicationem declarat Damascenus  
 lib. III. cap. XV. *In ignito gladio, inquit, sicut naturæ salvantur ignis &  
 ferri, sic & actiones & perfectiones eorum. habet enim ferrum incidendi  
 virtutem & ignis urendi. Et incisio operationis ferri est ἀποτέλεσμα,  
 combustio vero ignis. Et salvatur horum differentia in combusta incisione, &  
 in incisa combustione: tamen neq; combustio sine incisione fiat post unionem,  
 neq; incisio sine combustione. Et neq; propter duplicitatem naturalis actionis,  
 duos ignitos gladios dicimus, neq; propter singularitatem igniti gladii, con-  
 fusionem substantialis eorum differentie inducimus. Sic & in Christo divi-  
 nitatis ejus divina & omnipotens actio: humanitatis autem ejus, quæ secun-  
 dum nos. Sic ἀποτέλεσμα humanitatis est, quod tenuit puellam manu &  
 erexit: divinitatis vivificatio. Aliud enim hoc, aliud illud, etsi ab in vicem  
 inseparabiles sint in Deivirili actione θεαυδ' αὐτῆς ἐνεργειῶν.* Hæc Da-  
 mascenus. Qui vivificationem attribuit divinitati, non quod humani-

tas non sit vivifica, sed quod divinitatis propria sit vis vivificandi, humanitati vero communicata in Dei virili actione, sicut combustio propria quidem est ignis, interim communicata quoque est vis comburendi ipsi gladio incidenti. Vide dicta §. 13.

§. 15. De officio Christi triplici modo dicebamus, Prophetico, Sacerdotali & Regio. In articulo de sacerdotali Christi officio, quaeritur, an sola obedientia passiva Christus pro nobis satisfecerit. Affirmat Piscator, quem sequitur Wendelinus aliique. Sed plerorumque Calvinianorum sententia negativa est, quae & nostra est. De regio officio quaeritur, an Christus secundum utramque naturam praesens gubernet omnia, sive an etiam Christus secundum humanitatem sit praesens omnibus creaturis. Calviniani audacter negant. Augustinae confessionis Theologi circa hoc punctum non sunt ejusdem sententiae, salva tamen *ἀναστομία* & dominio Christi secundam utramque naturam omnipraesenti atque sic salva haecenus dissentientium fraternitate. Sunt qui negant Christum dicendum secundum humanitatem omnibus creaturis in regno potentiae extra Ecclesiam esse praesentem. Qui tamen non negant infinita dona humanitati Christi esse communicata omnipotentiae, omniscientiae, subsistentiae *ἐν αὐτῷ λόγῳ*; non desiniunt unionem personalem per gestationem & sustentationem, non negant Christum, ubi velit, adesse posse, imo adesse in omnibus istis locis, ubi sacra Coena administratur: denique non negant, Christum etiam secundum humanitatem adesse dominio & operatione. Unde patet, immane quantum hos inter & Calvinianos discrimen intercedere. Dices, & hos agnoscere omnipraesentiam operationis. At hoc fieri nequit stante hypothese non communicatae potentiae infinitae, & majestatis divinae. Hanc qui agnoscit factam communicationem, fundamentum agnoscit omnipraesentiae, & tale quidem fundamentum, cujus defensio atque assertio necessaria est ad intelligendum sublimem articulum de sessione ad dexteram Dei. Quae profecto non est desinienda certo loco, nec capienda de potentia divina inferiori, aut duplex fingenda sessio ad dextram Dei, una, quae Deitati, altera, quae humanitati conveniat. Haec enim Scripturis inaudita, extra quas sapere non debemus, imo contra scripturas docentibus eum, qui formam, servi suscepit, exaltatum esse & evehum ad dextram potentiae DEI. Videantur supra §. 9. dicta. Recte judicat doctiss. Schröderus Scept. Regal. pag. 697.

etiam §.

etiamsi quæstio de omnipræsentiâ corporis Dominici nunquam fuisset nota, nihilominus tamen asserendam fuisse communicationem majestatis divine cum assumpta carne factam, ut pote sine qua sublimis ille & augustus articulus de sessione ad dextram DEI nec satis intelligi, nec sincere explicari potest. Quod & ideo factum opus erat, ut reprimeretur *παρρηγία* adversariorum, qui punctum omnipræsentiæ quæstionem particularem, cum Majestatis communicatione, cujus ambitu multo plura comprehenduntur, cupide confundunt, eodem carbone utramq; notant, & sub eodem ad invidiam excogitato nomine ubiquitatis utramq; criminantur & insectantur. Hæc ille. Nempe si non movissent Calviniani certamen de præsentia corporis Christi in cœna, nunquam forte Lutherus ad alteram de omnipræsentiâ carnis Christi devenisset, altumq; ea de re fuisset silentium. Ipsi Status Imperii in præfat. Form. Concord. fatentur, nonnullos Theologos & in his ipsum Lutherum, cum de cœna dominica agerent, invitos etiam ab adversariis ad Disputationes de Personali unione duarum in Christo naturarum pertractos esse &c. Vide Chemnit. lib. de duab. Nat. cap. XXX. sub finem, ubi commemorat, B. Lutherum, cum multis argumentis de generali ubiquitate disputasset, postea cum animadverteret, in quos labyrinthos disputationum controversia sacramentaria ita abriperetur, & à verbis institutionis, quibus præsentia corporis & sanguinis dominici in cœna traditur & promittitur, adduceretur, tandem in majori sua confessione consilium dedisse, quia Disputatio illa pro simplicioribus non est uecessaria, contra adversarios vero frustra & absq; fructu suscipiatur, ut contenti simus verbis Christi, quibus in institutione affirmat. Hoc, quod in Dominica Cœna adest, exhibetur & ore accipitur, esse suum corpus. Quod si quærat, quomodo hoc possibile sit, ac si objiciatur, hoc pugnare cum veritate corporis humani, ut simul sit in pluribus locis, B. Lutherus simplicioribus præscribit hanc responsionem: Quia Christus non nudus homo sed verus substantialis & perfectus DEUS & homo est in una inseparabili persona. Et quia dextera DEI, ad quam Christi corpus collocatum est, ubiq; est, nec ullo loco est circumscripta, conclusa & alligata. Ideo, quia ipse de pane Cœne dominicæ dixit: Hoc est corpus meum, sine dubio ipsum pro sua sapientia & omnipotentia, cujus nec modus nec finis nobis constat, facile posse invenire modum, licet à nobis non intelligatur, quomodo corpus ipsius simul sit in cœlo & in omnibus locis illis in terra, ubi cœna dominica juxta institutionem celebratur, cum utrumq; sit ipsius verbum. Hæc Chemnitius ex Luthero. Ex quibus judicium fieri potest & de ortu hujus  
con-

controversiæ de omnipræsencia, quam ubi-quitatem vocant, & de ejus necessitate. Non ergo est, quod de moto vel veteri vel novo ubi-quitistico gloriantur Wendelinus aliq; Calviniani, qui & inter Heshu-rium ac Wirtembergenses, & inter Giesenses atq; Tubingenses agitatae de omnipræsencia quæstiones curioso oculo notant, atq; in emolumen- tum suæ sectæ, nostrarumque Ecclesiarum detrimentum convertere, egregie didicerunt. Saltem adjungant sese in aliis doctrinæ sanæ capiti- bus Ecclesiis Brunsvicensibus, Giesensibus, Wurtembergensibus, & rem totam fraternitatis, quam anxii voris cupiunt, ex animi sententia habebunt confectam. Id quod dudum publicè testatus est CL. Mentze- rus, cujus in Scripto Germanico (*Rettung der Casselschen Friedenspre- digt*) cap. XII. pag. 101. hæc sunt verba: *Belangend der Braunschweig- schen Kirchen vnd D. Chemnitii gutachten / daß die Disputation von der Ubiquitet bey seite gesetzt werde / wann Steinius in den andern Puncten mit denselbigen löblichen Kirchen & scriptis Chemnitii einstimmen wird / wollen wir mit keinem Worte einige molestie deswegen verursachen / des- sen er sich gewißlich zu vns versehen sol.* Verba Chemnitii sunt cap. ci- tato XXX. sub fin. pag. 205. ubi censet hanc Disputationem *de generali ubi-quitate præcidendam & ad alteram vitam differendam atq; seponendam.* Dixerat in prima lib. de Duab. Nat. in Christo editione: *Quoniam de generali illa ubi-quitate & præsentia in omnibus creaturis nec inter veteres quidem satis constat, nec ipsorum testimonia & sententiæ consentiunt, ideo in medio relinquam: abundet quisq; suo sensu.*

§. 16. Sunt inter Augustanæ Confessionis socios magni nominis viri, qui in controversia de generali ubi-quitate & affirmativa & negativa ab- stinent, hoc est nec negant Christum secundam humanitatem omnibus creaturis in regno potentiæ extra Ecclesiam esse præsentem nec affir- mant. Plurcula habet in hanc sententiam vir celeberrimus deq; Eccle- sia meritissimus Christophorus Scheiblerus in disputatione quadam de Persona Christi pro fidei simplicitate contra Calviniauos, habitâ Tremonix Anno 1641. §. 36. seqq. Non pigebit ea exscribere & hic quoque legere. Verba ejus hæc sunt. *Si speciatim queratur de ubi-quitate vel omnipræsencia carnis Dominicæ ad quasvis creaturas, pro simplicitate fidei dixi, tutissimum esse, si quæstio præcidatur, & ex vi istius præcisionis, abstinetur ab affirmativa & negativa. Ita enim Apostolus do- cet, a quæstionibus ἀπερίωτοις sive interminatis abstinendum esse I. Tim. I. 4. cujusmodi ista quæstio facta est, quæstionem ex quæstione gignens. Et ad hunc*

F

modum

modum multi ex nostris etiam præter Helinstadienses loquuntur. *Autores*  
*Apol. lib. Concord. cap. 9. fol. 171. idiomate Germanico in Latinum verso sic*  
*loquuntur: Hanc abstractivam locutionem, substantia corporis vel carnis est*  
*in omnibus creaturis, nunquam usurpavimus, neq. eandem in scriptis nostris*  
*vel aliis usurpare cogitamus. Chemnit. de duab. natur. in Christo cap. 30.*  
*pag. 244. censet hanc disputationem præcidendam & ad alteram vitam disse-*  
*rendam atq. seponendam. Non tamen dicam, inquit, ipsum non posse corpore*  
*suo ubiq. esse. Et plenius p. 255. seqq. ubi etiam B. Lutheri consilium allegat,*  
*quod disputatio illa pro simplicioribus non sit necessaria, & contra adversarios*  
*frustra & absq. fructu suscipiatur. In Actis Colloq. Quedlinburg. prout extat*  
*apud Hutt. in Concord. Concord. cap. 45 fol. 307. fac. 2. ajunt nostri: se nolte*  
*de generali ubiuitate corporis Christi in omnibus creaturis disputare, quia id*  
*in verbo in specie non sit manifestatum. Mentzerus in Obj. ad Martin. in initio*  
*ex aminis spicarum pag. 233. edit. Gies. (in edit. Francof. est pag. 317.) se nolte*  
*cuiquam litem movere de omnipræsencia: sed hanc rem velle differre ad cele-*  
*stem Academiam, modo credat præsentiam in Sacramentis, medio inimico-*  
*rum & Ecclesia. In dem serè verbis loquitur Chytræus in Epistola ad Hoffman-*  
*num in Voluñ. Epist. fol. 765. & ad D. Casparum Eberhardum fol. 1258. &c.*  
*Imo ita censent etiam ex Calvinianis aliqui. Nam sic Daniel Angelocrator in*  
*Epit. Concil. fol. 145. ex Synodus & Agendus Hassiacis (ubi utriusq. partis Thep-*  
*logos allegat fol. 132. 136.) ait Disputationibus de persona Christi omisus in con-*  
*creto de omnipræsencia ejus, non autem in abstracto sermones habendos, hoc*  
*est, dicendum esse: Christus DEUS & homo est omnipræsens, quæ concreti-*  
*va locutio est. Abstractivas autem, ut sunt, Humanitas Christi est omnipræ-*  
*sens, Humanitas Christi non est omnipræsens (non damnandas, sed) omitten-*  
*das esse. Et Steinius in defens. Oonci. Iren. cap. 13. idem contendit & alle-*  
*gato etiam Mylio nostro de re Sacrament. lib. 3. th. 48. & Tuckermanno, quò*  
*ex corpore doctrina Julio & Lutero idem docet, hanc controversiam sepo-*  
*nendam & præcidendam esse ait. Atq. ita simplicitas fidei erit, si 1. credamus,*  
*Christum verum Deum & hominem (in concreto loquendo) nobiscum esse in*  
*terra 2. & Christum secundum humanitatem etiam nobiscum esse, ubi quoties*  
*& quando vult, prout apud Paulum contigit. An autem 3. secundum humanam*  
*naturam omnibus locis adsit nec ne, præcidendum & seponendum esse, quia id sci-*  
*tu non admodum necessarium est pro simplicioribus, propter fanaticos autem*  
*tractatu non modo supervacaneum, sed noxium & periculosum est, ut D. Mylius*  
*d. l. loquitur. Atq. hoc etiam probat Censor Calvinianus dicens, simplicitati*  
*fidei optimè consultum esse, si in concreto, ut in scholis loquimur, juxta te-*

nozem scripturarum permaneamus, atq; ita etiam credamus, quod Christus  
verus DEUS & homo nobiscum sit secundum promissionem suam: quodq; se-  
cundum humanam naturam sit nobiscum, quando & quomodo velit. Id, in-  
quit, libenter confitemur, quia hoc simplicitati fidei conforme est. Atq; ex hoc  
sequitur, etiam non esse omnipresentiam carnis Dominicæ appugnandam. Sic  
enim à concreto ad abstractum descenditur, & ad promissiones de Christo ejus-  
que præsentia adduntur restrictiones, quæ in verbo DEI non continentur. In-  
deq; præsupposita ista simplicitate & questionis totius præcisione, ad alteru-  
trius partis argumenta respondere necessum non est. Sed illis relinquendum  
est, quibus volupe est simplicitatem fidei utriq; ad concretivas locutiones com-  
mendatam dimittere, prout natura Theologiæ Practicæ etiam in simili pluri-  
marum questionum Scholasticarum genere postulat. Hæc Scheiblerus.

§. 17. Sunt deniq; qui affirmant, Christum dicendum secundum  
humanitatem in regno potentia omnibus creaturis præsentem esse. Sed  
hoc rectè capiendum est. Neq; enim id volunt, naturam humanam pro-  
pter unionem personalem cum divinitate esse confusam, aut in eam  
transmutatam: aut humanam in Christo naturam in omnia loca cœli &  
terræ esse extensam localiter, aut diffusam. Verissimum enim est ma-  
netq; illud Augustini Epist. ad Dardan. secundum hanc formam (huma-  
nam) non est putandus ubiq; diffusus, cavendum est enim, ne ita divinitatem  
astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem conse-  
quens: ut quod in DEO est, ita sit ubiq; ut DEUS. Idem defendunt Augusti-  
næ Confessionis Theologi, etiam illi, qui Christum etiam secundum  
humanitatem esse præsentem omnibus creaturis affirmant. Wurten-  
bergeneses in scripto Germanico contra Hofmannum excuso Tubingæ  
Anno 1589. pag. 94. 43. dicunt affingi sibi, quasi doceant, daß Christi Leib  
mit der Gottheit alle Orthe außgespannet / vnd also alles mit Fleisch vnd  
Blut Christi erfüllet sey / daß alles voll Fleisch / Bein / Haut vnd Haar  
Christi sey / welches Gedichte wir allezeit in abgrund der Hellen verdam-  
met haben. Hutcherus L. C. pag. 126. Duobus modis corpus ait dici posse cir-  
cumscribi: vel loco forissecus ambiente: vel propriis nature suæ finitæ termi-  
nis, illam accidentariam & in resurrectione mortuorum tollendam, hanc vero  
essentiali & perpetam esse, siquidem in ipsa etiam resurrectione & vitæ  
æterna, corpora glorificata non erunt infinita, sed finita & essentiæ suæ fini-  
tus circumscripta. Proinde posteriore hoc sensu corpus quodlibet verum ac na-  
turale, quin ipsum quodq; Christi corpus actu semper circumscribi, Calvinianis  
ultra concedimus, priore vero sensu simpliciter negamus. Et disp. VII. de

Omnipræs. cap. poster. antithes. 3. *Quatenus, inquit, finitus Christus homo est, est etiam in suo πῶ. Lobecheus disp. 6. in August. Confess. thes. 91. In triduo mortis anima localiter à corpore fuit soluta, ita ut definitivè esset in paradiso; & corpus circumscripivè in sepulchro existeret. Mentzerus contra Martin. pag. 52. seqq. Augustinum notat ex proprietatibus corporis concludere absentiam Christi à terris. Idem, inquit Mentzerus, ego confirmo. Corpus enim Christi in caelo jam est, non in terris visibiliter nimirum, exceptis apparitionibus extraordinariis ut Act. IX. XXVII. Approbat ibi Mentzerus axioma Augustini, Fulgentii, Vigili: Christus habet verum corpus, & secundum veri corporis modum seu per naturam carnis suæ est alicubi localis, non ubiq;, non nusquam. Addit, manere corpus Christi finitum & circumscriptum: quod quicumq; negaverit, anathema esto. Et pag. 76. corpus Christi jam in caelis existens esse, ait non quidem in loco propriè dicto, sed in πῶ celesti. Schröderus Scept. Reg. pag. 212. Veritatem natura humana etiam in eminentissima majestate & gloria, tum quoad animam, tum quoad corpus docet, & distinguit proprietates, quæ sunt corpori Φυσικῶν καὶ πνευματικῶν communes, cujusmodi sunt esse finitum, quantum, habere partem extra partem, posse in loco esse, posse moveri, posse spectari, posse palpari &c. quæ in statu gloriæ manent, ab aliis proprietatibus, ut sunt, esse mortale &c. quæ non amplius manent in gloriæ statu. Idem pag. 620. Corpus Christi ait, cujus præsentiam in S. Cæna Lutherani credunt, non est infinitum & circumscriptum, sed uti nostrum corpus est finitum & circumscriptum, circumscriptione saltem interna. Nec est ita omnipræsens, quin sicuti nostrum corpus secundum veri corporis modum localiter etiam sit præsens. Ex his patet, male formari statum controversiæ à Calvinianis, cum quærunt, an natura Christi humana sit ubiq; localiter. Localem enim ubiuitatem pariter nos cum Calvinianis detestamur, inquit Mentz. in Martin. Elenchomeno pag. 14. Neq; solliciti sunt nostri de generali ubiuitate in lignis, lapidibus, formis, avibus, pecoribus, piscibus, ut ex Form. Concord. pag. 878. notum est. Quare injuriam maximam nobis faciunt Calviniani, cum Entychis errores nobis affingunt. Hic enim docuit, Dominum nostrum ex duabus constituisse naturis ante unionem, post unionem vero, unam tantum in illo naturam esse: nec corpus Domini nobis consubstantiale esse. Vide Evagr. lib. 1. Hist. Eccl. cap. 9. Quisquis negaverit, corpus Christi in unione & gloria manere finitum & circumscriptum, per nos Eutychnianus & Anathema esto.*

§. 18. Quinquam vero ad eum modum hæc se habeant, & corpus Christi tum in statu exinanitionis tum in statu exaltationis manserit finitum,

tum, circumscriptum, sicut nostrum est corpus, non tamen ira Christus ho-  
 mo confedit ad dextram Dei & secundum naturam humanam Rex cœli &  
 terræ factus est, ut absens omnia gubernet, & imprimis ut absens Eccle-  
 siam regat, tueatur, ornet. Absit vero! Quin humanitas (verba sunt  
 Magni Chemnitii loc. cit.)  $\lambda\gamma\omega$  unita & cum  $\lambda\gamma\omega$  omnibus dominatur,  
 non ex longinquo aut immenso intervallo absens, seu per vicariam operam &  
 administrationem, sicut Reges solent, quando ipsorum, imperium per multas  
 & longinquas provincias late extenditur: sed sicut in  $\lambda\gamma\omega$  subsistit, etiam  
 quatenus  $\tau\omega$   $\lambda\gamma\omega$  personaliter adheret, in  $\lambda\gamma\omega$  omnia coram se presentia  
 habet, & omnibus dominatur  $\epsilon\upsilon$   $\tau\omega$   $\lambda\gamma\omega$ . Tenendum, inquit Hutt. L. C.  
 pag. 180. res creatas DEO non esse presentes secundum locorum spatia, prout  
 ea in terris suis διασπασσι ac intervallis sunt distincta. Hinc enim in ipso DEO  
 expansiva omnipresentia statuenda esset. Verum sic cum res omnes DEO sunt  
 presentes, tum DEUS ipse rebus omnibus adest presentissimus: quatenus ipse  
 infinita sua maiestate divina omnia loca transcendens ac supergrediens o-  
 mnia sibi habet & intuetur presentissima, extra & supra loci rationem, modo  
 planè hyperphysico & divino: ita ut coram DEO haud major sit latitudo totius  
 orbis terrarum, quam vel unius palmæ vel digiti. Jam ergo cum caro Christi  
 intra illam æterni  $\lambda\gamma\omega$ s infinitissimam  $\upsilon\omega\sigma\sigma\epsilon\sigma\omega$  assumpta sit: utiq; non per  
 localitatem aliquam aut diffusionem de loco uno in alterum, de loco secundo  
 in tertium, de tertio in quartum, & sic deinceps, omnibus creaturis erit præ-  
 sens: sed divino illo modo, qui locum omnem transcendit: ut ei opus non sit,  
 de uno loco extendi in alium, propterea, quod in hac  $\upsilon\omega\sigma\sigma\epsilon\sigma\omega$   $\tau\omega$   $\lambda\gamma\omega$ s, in  
 qua caro hæc unice subsistit & extra quam ne cogitari quidem potest, nullus vel  
 locus vel localitas regnat, sed potius loca ad unum omnia habent se ad infinitam  
 $\tau\omega$   $\lambda\gamma\omega$ s  $\upsilon\omega\sigma\sigma\epsilon\sigma\omega$ , veluti punctulum miuutissimum. Præterea, qualibet Na-  
 tura in Christo etiam in unione duplicem obtinet respectum naturalem & per-  
 sonalem. Priori respectu  $\lambda\gamma\omega$   $\epsilon$  est à Patre genitus, posteriori passus. Caro se-  
 cundum naturalem respectum potest localiter esse in aliquo loco certo, vel in  
 aliquo  $\pi\epsilon$  quemadmodum in statu exinanitionis verè de loco in locum est pro-  
 gressa, uno in loco nata, passa, crucifixa, mortua, sepulta. Jam vero secundum  
 modum corporum clarifactorum est in cœlesti aliquo  $\pi\epsilon$ . At secundum respec-  
 tum posteriorem caro fortiter alium modum essendi alicubi, nempe PERSON-  
 NALEM, quo in  $\upsilon\omega\sigma\sigma\epsilon\sigma\omega$   $\tau\omega$   $\lambda\gamma\omega$ s existens, simul extra & supra omnem  
 loci & localitatis conditionem ubiq;  $\tau\omega$   $\lambda\gamma\omega$  adest presentissima. Hæc Hut-  
 terus loquens de omnipresentia unionis. Bisariam enim, ut docet Schro-  
 derus lib. cit. pag. 695. Usurpatur vocabulum omnipresentie, cum de præ-



sentia assumpta naturæ est sermo: uno modo, quo illa salva sua veritate finitate & localitate, dicitur omnipræsens, quatenus τὸ ὄν ὅπου ubicunq; sive in cælo sive in terris adest, conjunctior est creatura quacunq; alia. Dicitur omnipræsencia τὸ ὄν ὅπου, unionis &c. Altero modo, quo salva veritate sua rebus creatis dicitur esse præsens, quatenus non solum in hypostasi ὄν ὅπου omnipræsenter subsistit, sed etiam per operationes divinas quarum per unionem & exaltationem ἡνωσὶς facta est, omnipræsenter res universas sustentat, conservat & gubernat. Dicitur aliàs omnipræsencia ratione creaturarum: item omnipræsencia ὑπερψώσεως seu exaltationis, eò quod etiam nitatur exaltatione illa, per quam caro assumpta sedet ad dexteram DEI. Hæc Schroderus, dilucide exponens differentiam inter præsentiam intimam, sive ad intra quam vocant, & extimam sive ad extra. Mentzeri contra Martinium pag. 426. hæc verba sunt: Scriptura describens cælesti & divinum Christi hominis imperium, atq; cæli & terra, inprimis autem Ecclesia gubernationem ejusmodi nobis Jesu Christi ad dextram Majestatis exaltati omnipræsentiam commendat, quæ potissimum in regendo orbe omnipotentia, in propugnanda & exornanda Ecclesia divina gratia, in puniendis hostibus infinito robore & justitia definitur. Rectè dicere possis, omnipotentem præsentiam & omnipræsentem potentiam. Hæc Mentzerus, qui in Martinio Elenchomeno pag. 6. seqq. Martinium culpam definientem ubiuitatem sive omnipræsentiam per præsentiam humane naturæ in omnibus locis & pag. 8. omnipræsentiam esse dicit Christi præsentis divinam actionem. Affelmannus idem statuit disp. Apolog. de omnipræs. contra Lamp. thes. 32. Quicquid per essentiæ infinitatem non est ubiq;, illud sua substantia res creatas non implet. At humana natura per essentiæ infinitatem non est ubiq;, non præsentia essentiali sed personali, Ergo, Neg; vero omnipræsencia carnis substantiali impletione, sed divina dominatione & operatione in Nomenclatura sacra describitur.

§. 19. Pro dominio Christi hominis omnipræsenti evidentia militant Scripturæ loca, inprimis Matt. XIX. 20. Matt. XXIX. ult. Ubi duo vel tres sunt in nomine meo congregati ibi ero in medio ipsorum. Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item Psal. CX. 2. sede à dextris meis & dominare in medio inimicorum tuorum &c. Joh. VI. 56. Qui edit carnem meam & anguinem meum, in me manet & ego in ipso, & suscitabo eum in novissimo die. Loquuntur hæc & similia loca de Christo, ut constat. Nulla autè ratio produci potest, quæ evincat, intelligèda de Christo secundum divinitatè tantum hæc esse. Quin rationes suppetunt validissimæ, intelligèda hæc quoq; de Christo homine esse. Nā & verborum proprietates dictorumq;

virtus


virtus id postulat, & flagitat ratio officii regii. Actiones quippe officii sunt utriq; naturæ communes. Qui hic impossibilitatem rei causantur, cogitabunt apud DEUM nullam rem impossibilem esse, Luc. I. DEUM posse abundanter majora facere, quam nos mente concipere possumus Eph. III. 20. Cogitabunt Christum exaltatum sedisse ad dextram virtutis & omnipotentiae divinae. Finge hominem Christum abesse locorum distantius à creaturis illis, quibus administrandis praesidet, jam certe peribit gubernatio omnium ex throno dexteræ DEI, inducetur gubernatio ex remotissimo quodam πῆ. Finge, λόγον tantum praesentem per humanitatem absentem gubernare omnia, jam certe creaturæ & λόγος sibi invicem erunt conjunctiores & unitiores, quam λόγος ejusq; caro, quæ tamen arctissima unione sunt sibi sociata. Finge, Christum hominem absentem dominari omnibus rebus, utiq; non jam gubernabit omnia pro ratione dextræ virtutis DEI, sed pro ratione regnorum terrenorum. Deniq; producimus locum illustrem Eph. I. 23 IV. 10. Isthic dicitur *Christus homo implere omnia in omnibus*: hic vero ascendisse longè supra omnes caelos, ut omnia impleat. Dices, nihil aliud significari, quam Christum implevisse Ecclesiam donis, de quibus in textu sequitur. Respondeo, universaliter dici omnia, quæ non possunt vel debent restringi ad Ecclesiam, quanquam bene ab Apostolo fiat applicatio ad Ecclesiam. Qui enim implet omnia in omnibus, is etiam implet Ecclesiam donis. Quod autem ad solam Ecclesiam non possit restringi, liquidum est conferenti Cap. I. vers. 22. ubi universale Christi secundum humanitatem exaltati in omnia, etiam ordines Angelorum dominium habes. Bene Occumenius: *Nuda quoq; divinitate olim omnia implebat. Et incarnatus, ut omnia cum carne impleat, descendit & ascendit.* Et Theophylactus: *Ut omnia impleat dominatione operationeq; idq; in carne, quandoquidem divinitate jam antea cuncta completeret.* Hæc autem adversus P. Samosatenum (docentem, τὰς δύο φύσεις ἀμετάστωτος ἐκείνης καὶ ἀκωνωνήτες πρὸς ἑαυτὰς εἶναι παντάπασι ἐν Χριστῷ) & Nestorium sunt. Si quæras de modo, respondemus eum Form. Con. pag. 788 eum soli DEO notum esse. Verba hæc sunt: *Est in confesso est, neq; negari potest, divina atq; una cum sua majestate divina nequaquam carnis circumscriptione tanquam vase contineri, sicut Athanasius, Origenes, Nyssenus & alii rectè scripserunt. Quia tamen divina & humana natura personaliter & indissolubiliter in Ch. isto unitæ sunt: ideo cum sacra scriptura, tum sancti Patres testantur, ubicunq; Christus est, ibi non dimidiatum, aut dimidiam illius personam aut partem tantum persone illius, ut divinitatem solum seorsim & nudè citra & extra assumtam & personaliter sibi unitam humanitatem vel ab ea separatam & extra personalem cum humanitate unionem, sed totam illius personam, nempe ut DEUM & hominem pro modo personalis cum humanitate unicus, quæ imperscrutabile*


bile

bile mysterium est, ubiq; presentem eâ ratione & modo, qui soli DEO notus est. Notanter dicitur extra & citra: hæc enim confundunt adversarii, cum dicunt, λόγον non esse extra carnem, hoc est, sine carne, citra carnem. Atqui aliud est sine, aliud citra. Thorax extra caput est in homine vivo, sed non citra. Disertè Athanas. Orat. 2. cont. Arrianos: ὁ λόγος ἐκ ἐκτὸς ἔσ σάρματος. Et Cyrill. lib. 2. de fide ad Regin. Non extra carnem, hoc est, humanitatem verbum ex Deo esse confitemur.

§. 20. Tantum est. Unum prius, quam concludamus, adjiciendum duximus. Ægrè ferunt Calviniani, sibi à nostris Theologis errorum Nestorii societatem objici. Videndum breviter erit, an reverà Calviniani Nestorianæ hæreseos rei sint. I. Negavit Nestorius subsistentiam utriq; naturæ communem, negavit hominem esse Deum: docuit, hominem esse deiferum, & hunc quidem, (Filiū Dei) verum & naturalem esse Filium; illum vero (filium Mariæ) quod eandem cum vero Filio appellationem sortiatur, æquivocè Filium Dei dici. Cyrill. lib. de rect. fide ad Theodof. Calviniani pariter negant subsistentiam communicatam, negant hominem esse Deum propriè loquendo, ut patet ex dictis §. 3. & 5. II. Quomodo Maria sit dicenda θεοτόκος, ostensum ex Damasceno §. 6. Simul patet eos, qui negant naturarum communicationem factam, & hominem deificatum, quales sunt Calviniani, necessum habere cum Nestorio negare Mariam esse θεοτόκον. Vide Dialog. Maxentii lib. I. cap. 2. 3. III. Negavit Nestorius, Deum esse passum. Vide Dial. Max. lib. II. cap. 8. 9. 10. Idem negant Calviniani, ut dictum §. 7. Bene Lutherus in Maj. Confess. *Si constabit allæosis, ut eam Zwinglius proponit, in Christo duas personas esse necesse erit, divinam videlicet & humanam: quandoquidem Zwinglius dicta scriptura de passione tantum ad humanitatem inflectit, eaq; per omnia à divinitate separat. Ubi enim opera divelluntur & separantur, ibi etiam personam ipsam dividi necesse est: cum omnia opera, omnesq; passiones non naturis, sed personæ tribuantur. Persona enim est, quæ omnia illa agit, & patitur hoc quidem secundum hanc naturam: illud vero secundū alteram naturam: quæ sanè omnia viris eruditiss. sunt notissima.* IV. Negavit Nestorius, carnem Christi adorandam esse eadem adoratione. Concil. Eph. an th. 8. Idem statuunt Calviniani, ut patet ex dictis §. II. qui hac in parte deteriores esse Nestorio videntur, qui æqualitatem dignitatis concessit, quam impugnant Calviniani. V. Negavit Nestorius, carnem Christi esse vivificantem. Idem negant Calviniani ut dictum §. 13. VI. Nestorianum est, personam λόγος assistere carni & esse extra carnem. Atqui idem sibi volunt similitudines de Oceano & Antwerpia, planeta & orbe Calvinianis familiares. Deniq; VII Nestorianum est, negare Christum secundum humanitatem omnia implere dominatione & operatione. At idem tuentur Calviniani.


Conf. §. 15. seqq.





virtus id postulat, & flagitat ratio officii regii. Ad  
 utriq; naturæ communes. Qui hic impossibilitatem  
 apud DEUM nullam rem impossibilem esse, Luc. I. DE  
 facere, quam nos mente concipere possumus Eph. III. z  
 exaltatum sedisse ad dextram virtutis & omnipote  
 nem Christum abesse locorum distantius a creaturi  
 dis præsidet, jam certe peribit gubernatio omnium  
 inducetur gubernatio ex remotissimo quodam 78  
 sentem per humanitatem absentem gubernare om  
 λόγῳ sibi invicem erunt conjunctiores & uniti  
 caro, quæ tamen arctissima unione sunt sibi sociat  
 nem absentem dominari omnibus rebus, utiq; nec  
 pro ratione dextræ virtutis DEI, sed pro ratione r  
 niq; producimus locum illustrem Eph. I. 23 IV. 10.  
 implere omnia in omnibus: hic vero ascendisse longe  
 impletur. Dices, nihil aliud significari, quam Chr  
 donis, de quibus in textu sequitur. Respondeo, ut  
 non possunt vel debent restringi ad Ecclesiam, qu  
 fiat applicatio ad Ecclesiam. Qui enim implet om  
 impler Ecclesiam donis. Quod autem ad solam E  
 gi, liquidum est conferenti Cap. I. vers. 21. 22. ubi ut  
 humanitatem exaltati in omnia, etiam ordines An  
 Benè Oecumenius: Nuda quoq; divinitate olim om  
 ut omnia cum carne impletur, descendit & ascendit  
 omnia impleat dominatione operationeq; idq; in carne  
 jam antea cuncta completeret. Hæc autem adversus  
 tem, τὰς δύο φύσεις διηγερούως ἐχούσας καὶ ἀκείν  
 πέντε πέντε ἐν Χριστῷ) & Nestorium sunt. Si quæ  
 eum Form. Con. pag. 788 eum soli DEO notum  
 in confesso est, neq; negari potest, divinitatem una cum  
 quam carnis circumscriptione tanquam vase contineri  
 Nyssenus & alii rectè scripserunt. Quia tamen divina e  
 ter & indissolubiliter in Christo unita sunt: ideo cum  
 Patres testantur, ubicunq; Christus est, ibi non dimidia  
 sonam aut partem tantum persone illius, ut divinitatem  
 & extra assumptam & personaliter sibi unitam humani  
 extra personalem cum humanitate unionem, sed tot  
 DEUM & hominem pro modo personalis cum humanita

officii sunt  
 cogitabunt,  
 inter majores  
 Christum  
 unge homi  
 ministran  
 tera DEI,  
 antum præ  
 creaturæ &  
 ejusq;  
 stum homi  
 bit omnia  
 norum, De  
 hristus homo  
 os, ut omnia  
 e Ecclesiam  
 omnia, quæ  
 b Apostolo  
 s, is etiam  
 ossit restrin  
 i secundum  
 nium habes,  
 incarnatus,  
 actus: Ut o  
 divinitate  
 m (docen  
 τὰς ἐν  
 spondemus  
 c sunt: Et si  
 vina nequa  
 s, Origenes,  
 ta personali  
 a, tum sancti  
 am illius per  
 s nude citra  
 eparatam &  
 m, nempe ut  
 mper scrutat  
 bile



the scale towards document